A.I.f (50)

39253/B

PETRI ORLANDI
ROMANI

PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ DOCTORIS

DISSERTATIONES
PHYSICO-MEDICO-PRACTICÆ.



ROMÆ

EX TYPOGRAPHIA JOANNIS ZEMPEL.

SUPERIORUM PERMISSU.

10886

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

PETRI ORLANDI ROMANI

PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ DOCTORIS

DISSERTATIO

MEDICO-PRACTICA

DE MORBIS PECTORIS

IN HYEME ANNI CIↃIↃCCLXXIX.

ROMÆ OBSERVATIS

AD

MARCUM ANTONIUM

PRINCIPEM BURGHESIUM.



ROMÆ

EX TYPOGRAPHIA JOANNIS ZEMPEL.

SUPERIORUM PERMISSU.

CIↃ IↃ CCLXXIX.

Artem experientia fecit, exemplo moſtrante viam.

Manilius.

Bonus magiſter experientia eſt.

Aræteus Cappadox lib. II. cap. II.
de Morbis acutis.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

EXCELLENTISSIMO DOMINO

D. MARCO ANTONIO BURGHESIO

PRINCIPI SULMONIS, ROSSANI &c. &c.

PETRUS ORLANDI
FELICITATEM.

INnumerabiles propè ſunt, AMPLISSIME PRINCEPS, & maximi ponderis rationes, quæ ne ad hanc qualemcumque nuncupandam de pectoris morbis in ſuprema hieme obſervatis Diſſertationem Tuis ſub Auſpiciis, Tuoque Patro-

cinio edendam impellunt; quem quidem laborem dicatum Tibi potiſſimum Principi omni virtutum genere cumulatiſſimo vehementer optavi; non quidem, ut tuæ præſtantiæ laudes commemorarem, prædicaremque, Te optimarum ſcientiam diſciplinarum, & ſtudium de omnibus benemerendi pari cum nobilitate conjunxiſſe, ſic enim aſſentationi dare forte viderer, quæ fere in omnium ore verſatur, ſed tantum Tibi uni, ut benigno favore proſequerere; quod ſane maximo mihi præſidio, & gloriæ futurum nemo plane in dubium revocabit. Te igitur oro, Amplissime Princeps, ut quoniam hoc tribuiſti humanitati Tuæ, ut me in clientelam, ac familiaritatem ſuſciperes, tribuas idem conſtantiæ, ut ſuſceptum tuearis,

ac

ac ſoveas, meamque in præſenti Opuſculo edendo curam, æqui, bonique conſulas. Id ſi a benignitate, atque pietate Tua aſſequar, cum eximiæ obſervantiæ erga Te meæ, tum ſtudiorum meorum ampliſſimum quidem, atque uberrimum fructum mihi comparaſſe arbitrabor.

Romæ Kalendis Quintilis CIƆIƆCCLXXIX.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

F. A. Epiſcopus Montis Alti, ac Viceſg.

Diſſertationem Medico-Practicam De Morbis Pectoris variis obſervationibus, præceptiſque, tum veterum, quam recentiorum refertam, variam illorum indolem, atque curationem exponit, ad veram medendi methodum non mediocriter conferentem, quæ recte obſervans Ingenuus Vir non parum levaminis ſuis ægris attulit. Hanc juſſu Reverendiſſimi P. Mag. Sacri Palatii Apoſtolici attente conſideratam, dignam cenſui, ut Typis mandetur, cum neque Fidei, neque bonis moribus repugnet. Datum Romæ IV. Kalendas Julias 1779.

Paſchalis Adinolfi ex Urbis Collegio Publicus Chemiæ Profeſſor.

IMPRIMATUR,

Fr. Pius Thomas Schiara Ord. Præd. Sac. Pal. Apoſt. Magiſter.

DE

DE MORBIS PECTORIS

IN HIEME

PRÆSENTIS ANNI CIƆIƆCCLXXIX.

OBSERVATIS

DISSERTATIO.

§. I. VAriæ paſſim infirmitates in Regionibus obſervantur juxta diverſas aeris conſtitutiones, ut Hiſtoriæ Medicæ, & continuæ obſervationes abunde confirmant. Habemus in Hippocrate (1) *Univerſi morbi fiunt etiam a calido, a frigido, a ſicco, & ab humido ad majorem exhalationem evectis*. Ideoque alibi recte dixit: (2) *Regionum ſingularium ſitum, & naturam Medicus cognoſcere opportet*, & alio in loco (3): *Ad Medicum pertinere ſitum conſiderare, aerem, atque aquam Urbium, ut*

(1) Lib. de morbis.
(2) Lib. de dieta.
(3) Lib. de Aere, locis, & aquis.

in cognitionem veniat popularium morborum Abitatorum, *& illorum*, *qui ex reſpectivis temporibus derivant*. Et alibi (1): *Impetus morborum ſemper populariter graſſantium cito animadvertere oportet*, *& temporis conſtitutionem non ignorare*, *quando in omni anno*, *& tempore mala malum*, *bona bonum ſignificat*. Cui conſonat Cornelius Celſus (2): ſimilia exempla reperiuntur in eruditiſſimo Arbutnhot (3). His autoritatibus facile intelligi poterit, quæ in ſequentibus dicturus.

§. II. Aer eſt tenue, ac ſubtile fluidum, quod Orbem univerſum circumquaque cingit, ut Phyſica docet. Aer ex Phiſiologicis eſt præcipuum naturæ inſtrumentum, in quo vitam ducimus, noſtraſque omnes exercemus operationes, ex quibus varietatibus diſſimiles producit infirmitates, uti humiditas nimia morbum unum gignit, alterum vero nimia ſiccitas. Aer putridis, maligniſque exhalationibus inquinatus peſtilentiales parit febres. Aer æſtivus ab hiemali plurimum differt, ita etiam urbanus ab agreſti. Aeris qualitates ſunt calor, frigus, humiditas, atque ſiccitas, quarum varietatibus diſſimiles producuntur mutationes. Aer valde calidus animalium carnes, & viſcera ad putredinem diſponit, & pulmonibus,

(1) Lib. de Prænotionibus.
(2) Lib. II. Cap. I.
(3) De effectibus aeris in humano corpore.

nibus maxime eſt obnoxius, varia tam in ſolidis, quam in fluidis generans morboſas affectiones, ut ex obſervationibus refert citatus Arbutnhot. Aer frigidus eſt ex privatione caloris, & eſt immediata congelationis cauſa, unde fibræ contrahuntur, criſpantur, nimis elaſticæ, ac oſcillantes redduntur, perſpiratio impeditur, humorum molleculæ condenſantur, obſtructionem, artritidem, podagram, rheumatiſmum, ſcorbutum, inflammationem gangrenam progignendo; nimium frigus, & calor ad gangrenoſum ſtatum animalium viſcera inducit. Humidus aer eſt, quando vaporibus prope telluris ſuperficiem inquinatur, unde animalium fibræ relaxantur; ex fibræ laxitate dein, uti ex rigiditate nimia innumera oriuntur mala.

§. III. Aeris ergo effectus ita diverſi ſunt in noſtro corpore, ſicut anni tempora, climata, atque Regiones. Obſervavit Hippocrates frequentes ventorum varietates ex borealibus in auſtrales inflammationes pulmonum producere; obſervavit quoque humidarum Regionum incolas eſſe leucophlegmaticos, pallidos, malencolicos, virgines cloroticas ob fibrarum laxitatem ab aeris humiditate obortam; contrariæ autem cauſæ contrarios ducunt effectus. Sanguis craſſior, & nigrior eſt in calidis Regionibus ob nimiam partium ſero-

 ſarum

ſarum diſſipationem perſpirationis ope. Per frigus condenſantur fluida; ſolida vero rigida fiunt. Valida igitur ratione una cum Hippocrate dici poterit: *Mutationes anni temporum maxime pariunt morbos, & in ipſis temporibus magnæ mutationes, aut caloris, & alia pro ratione eodem modo* (1).

§. IV. His poſitis aſſerimus, infirmitates, ſeu morbos Pectoris in tranſacta hieme obſervatos ſuam prorſus agnoſcere originem a nimia aeris frigiditate, & ſiccitate ex continuo Boreæ flatu cauſata; unde frigus incolis Romæ perpetuitati hujuſcemodi non aſſuetis maxime exitialis fuit; ideoque tales apparuerunt infirmitates: Medicorum vulgus, & Hominum eas malignas vocarunt febres, & ab aeris infectione peſtilentiales, qua de cauſa omnes fere Urbis habitatores a nimio timore fuere perterriti. Juxta Dodoneum (2) anno 1557., & iterum 1565. ſimiles pectoris morbi fuerunt obſervati. Non diſſimiles obſervavit Romæ Cognatus (3) anno 1570., & Proſper Marſianus, Ballonius (4) 1571. Petrus Foreſtus (5) anno 1580. Animadvertit Baglivius (6) an. 1692. non ſolum Bononiæ, verum etiam Romæ ulcera, & vulnera etiam

(1) Aphoriſmo I. Sect. III.
(2) Obſervat. Medic.
(3) De Salubritate Romani Aeris.
(4) Epidem. lib. I.
(5) Lib. IV. obſerv. I.
(6) In diſſertat. de uſu, & abuſu veſicantium cap. II.

etiam leviſſima a quacumque cauſa producta facillime gangrenaſſe cum ægrorum damno, quoplurimi tunc temporis a gangrenatis veſſicantium ulceribus interiere. Obſervavit idem anno præfato hyemem frigidiſſimam Italiæ quidem inſolitam, nec non copioſis nivibus, ac gelu exaſperatam fuiſſe. Anno autem 1694. Romæ hiemali tempore apparuerunt, ut refert idem (1), Pleuritides epidemicæ late graſſantes ob intenſiſſimum frigus a nivium copia, gelu productum, & per biennium Apoplexiæ epidemicæ (2). Similes morbi antiquitus obſervati, ac deſcripti fuere ab Andrea *Galli* (3), qui per totam undique terram extendebantur an. 1348., atque annos quinque cum ingenti, ac univerſali hominum nece perdurarunt, quorum ſic cecinit Fracaſtorus in ejus ſiphylide lib. I.

Biſcentum fluxere anni cum flammea Marte
Lumina Saturno triſti immiſcente per omnes
Auroræ populos, per quæ rigat æquora Ganges,
Inſolita exarſit febris, quæ pectore anhelo
Sanguineum ſputum exagitans (miſerabile viſu)
Quarta luce frequens fato perdebat acerbo.

 Illa

(1) Loco citato cap. III.

(2) Baglivius diſſertat. de obſervat. Anatomic. & practic. varii argument. in Appendice.

(3) Lib. IV. Faſc. de Peſte.

Illa eadem Aſſiriæ gentes, & Perſidus, & quæ
Euphratem, Tigrimque bibunt poſt tempore parvo
Corripuit, diteſque Arabas, mollemque Canopum,
Inde Phrygias, inde, & miſerum trans æquora vecta.
Infecit Latium, atque Europa ſæviit omni.

§. V. Relationem tandem habemus pectoris morborum Romæ graſſantium annis 1709., 1713., & 1714., 1719., ad 1720. A Dominico Gagliardi deſcriptam (1). At ego ut rite intelligantur ea, quæ poſtea de præſentibus infirmitatibus dicturus, aliquid notabilius a præfata relatione deſumptum exponam. In tranſacto anno Jubilei 1775. plures Romæ obſervavimus omnibus fere Incolis communes catharrales fluxiones cum maxima febri, capitis dolore, vehementiumque ſymptomatum apparatu in principio, quæ vero trium dierum ſpatio ſolvebantur. Illis feliciter obſtiti ſola dilutione, quiete, & dieta. Sanguinis miſſiones eodem tempore ubique ab omnibus fere Medicis imperabantur & pro univerſali, ac unico utebantur remedio, nullumque tam favorabile Chirurgis, quam hoc obſervatum eſt tempus. Refert igitur recenſitus Gagliardi mor-

(1) Relazione de' mali di petto, che corrono nel Archioſpedale di S. Spirito &c.

morborum pectoris epidemiam ſe manifeſtaſſe in fine anni 1708. uſque ad ſequentem totum fere annum; in menſe Novembri iterum comparuiſſe anni 1713. uſque ad 1714., quæ denuo revivixit in fine 1719., & in initio 1720. Symptomata concomitantia hæc erant; magna ſpirandi difficultas, doloroſa laxitudo, color in facie modo rubicundus, ater modo, pulſus inequales, & valde languidi, in pectore dolor, qui morbi decurſu mitigabatur, febris non multa, ſputus viſcidus, ſed parcus &c. Ex pluribus dein cadaverum ſectionibus hoc morbo interemptorum obſervavit idem conſiderabiles liquidorum lenteſcentias, eorumque poliipoſas concretiones, uti quoque ſcirroſas, abundantes cruoris corruptiones, phlegmaticas intumeſcentias, ſupurationes, gangrenas, ſphacellos, quæ nedum in Torace, ſed & in abdomine advertebantur, &c.

§. VI. Morbificam cauſam fixantis, ac corruptibilis naturæ poſuit hærere in vitiata aeris atmoſphera ob repetiti terræmotus exalationes, & taliter inquinatus aer miſeros victum, veſtitumque eſurientes, & illos, qui incaute aeris intemperiei exponebantur, & animi patematibus exagitabantur, infecit. At opinio eum fefellit; nam terræmotus exalationes talis morboſæ conſtitutionis cauſa non fuere, quia ſolum terræmotus accidit an. 1703.,

uti teſtantur hiſtoriæ. Refert Baglivius (1) hiemem anno 1702. temperatam fuiſſe, ſerenam, atque placidam, veluti in vere ſolet, ac per totum fere Februarii menſem perduraſſe. Circa kalendas Martias cæperunt pluviæ, & uſque ad finem Junii in magna perdurarunt copia; cœlo dein ſereno, en calida æſtas, ſicca, & nimium urens uſque ad X. kal. Novembris ſucceſit. Hac æſtate regnarunt Romæ morbilli, & variolæ quaſi epidemicæ; regnarunt quoque tertianæ duplices, febres meſſentericæ, ardentes, faciei, aliarumque partium eryſipelata, dolores capitis ſine febri, apoplexiæ &c. a kal. Novembris ad Januarias uſque pluviæ flantibus auſtris abundanter cecidere, unde Tiberis inundatio; & die 14. Januarii an. 1703. hora ſecunda noctis Roma fortiter tremuit; quo tempore infirmitates a Gagliardi deſcriptæ non apparuerunt, ſed tantum graſſarunt anno 1709., identidem uſque ad 1720., ut ſupra indicavimus. Ergo terræmotus non fuit talium morborum cauſſa.

§. VII. Reperitur in hiſtoriis an. 1708. ad 1709. magnum frigus Romæ expertum fuiſſe, & ob ingentes nivium copias plantas exſicaſſe; idem fere accidit an. 1714. & tandem an. 1719. adeo hiems frigida fuit, ut multa abitatorum

(1) De Terremotu Romano, & Urbium adiacentium, an. 1703.

torum millia interirent. Similes anni conſtitutiones, & morbi obſarvati fuerunt ab Hippocrate (1), C. Celſo (2), Valleſio (3), Ballonio (4), Ollerio (5) &c. Ex dictis ergo patet, ab aere nimis frigido tales pectoris morbos ſuam agnoviſſe originem.

§. VIII. Ab omnibus habetur Philoſophis frigus eſſe caloris privationem. Putarunt Joannes Mayow, & David Wanderbec, ut refert Clauſinus Damilche Anglus (6), frigus eſſe quid poſitivum, & in coagulante ſale conſiſtere, qui in aere ipſo reſidet, & ſi a radiis ſolaribus exagitatus, ac diſcuſſus non ſit, idoneus evadit ad coagulationes producendas, diſtentiones, rigores, gangrenas &c. ut obſervavit C. Celſus, qui dixit: *Frigus modo nervorum diſtentionem, modo rigorem infert, & nigrum in ulceribus ac horrorem in febribus excitat*. Frigus ergo, ut ſupra inuimus, humores coagulat varias excitando infirmitates, & præſertim convulſiones, gangrenas, & ſphacellum. Dixit Hippocrates *Frigida ſemper convulſiones producunt* (7). *Frigus*

(1) In Epidem. de Prænotionibus: de Humor. de morb. de dieta.
(2) Lib. II. cap. I.
(3) In Hippoc. Coment.
(4) Epid. & Ephem. lib. II.
(5) Lib. de obſerv. propoſit. XIII.
(6) Al Sig. Milone Guarino Zogloor ſopra alcuni libri ſtampati dal Gagliardi.
(7) Lib. de Fracturis.

gus indurat, quæ in ventre ſunt (1). *Frigida velut nix, glacies, pectoris inimica, tuſſes movent, ſanguinis eructationes, & catharros inducunt* (2). Per frigus ergo humores noſtros a ſua recta degenerant indole in morbificam naturam, unde recte dixit Valleſius (3). *Fere in tantam malitiam veniunt ſucci, ut ſint quaſi venena in nobis ſponte genita*.

§. IX. Hæc erat curativa methodus a Gagliardi pertractata. Utebatur ſequenti Lambitivo (4), applicabat veſſicantia brachiis, & femoribus, fotus ad doloris locum, & hæc erat univerſalis omnium infirmorum curativa methodus. Citatus Damilche tali methodo valde opponitur, prædictum lambitivum demonſtrans eſſe prorſus oppoſitum veſſicantibus, & nimis fore pernicioſum infirmis: damnat olei uſum tam amygdal. dul., quam ſem. Lini, & damnat etiam temporibus ſuis olei uſum adeo familiarem eſſe Romæ, ut omnium morborum univerſalis panacea evenerit, utpote Medicina aliis remediis morbos curare non valeret. Quare deduxit, quod ſolutio, quæ nititur per veſſicantia per con-

con-

(1) Sect. V. de morbis popul.
(2) Aphor. XXIV. Sect. V.
(3) In comentar. Hippoc.
(4) ℞. Ol. Sem. Lin. unc. j.
Sang. Hircin. Sol. in Aq. Scab.
Theriac. an. ℥. j.
Ol. Mathiol. gut. XV.
Syrup. Flor. Rhead. unc. ij.
M. pro Lambit.

contrarias prædicti lambitivi virtutes impeditur: unde plurimi tali methodo interiere. Quapropter cum Adriano Tornebii concluſit: *Simplicitas ad morborum ſanitatem efficacior eſt, quam illa confuſorum miſcellanea compoſitio magno mortalium, & diſpendio, & damno introducta.*

§. X. Ab his abſolutus exponam ea, quæ præſentibus infirmitatibus ſentio, præmiſſa primum anni præteriti morborum hiſtoria. Tranſacto anno 1778. hiems pluvioſa nimis fuit, Notiſque ventis dominata, uti in vere, quo tempore multos pectoris morbos obſervavimus, nempe Pleuritides, Peripneumonias, facile in ſuppurationem abeuntes, catharrales fluxiones, febres longas intermittentes, periodicas, meſſentericas, diarreas, diſſenterias, anginas, aſthmata humoralia, hydropes &c. quæ quidem affectiones omnes ſuam agnoverunt originem a nimia fibrarum laxitate, & ab eorum ammiſſo elatere; unde laxatis ſolidis humorum molleculæ inter ſe concreſcere inceperunt in glandulis, & in vaſorum extremitatibus ſtagnare, atque a retardato humorum circulo ſanguis lenteſcens, ac craſſior factus eſt, quia ſolida, ut Statica demonſtrat, non agebant ſuper fluida, impediebanturque humorum ſecretiones, excretioneſque, quare a deſtructo equilibrio diſſimiles notabantur

A 9 infir-

inſirmitates a diverſa ægrotantium conſtitutione, & a cauſis procatarticis productæ. Veris autem initium pluvioſum fuit, & Auſtris frequens, quo tempore adhuc illæ apparebant infirmitates, quæ in hieme tunc prægreſſa erant obſervatæ. Altera dein veris pars frigida fuit, qua de cauſa tunc Pleuritides ab aliquibus Medicis dictæ bilioſæ, & ſynochus Pleuritica ab aliis, apparuere cum dolore punctorio in latere modo ſub coſtas ſpurias, tunc in coſtis legittimis ad homoplatam reſpondente modo, quæ maxime experiebantur periculoſæ. Tales febres omni fere anno plerumque obſervantur, quæ *juxta* Baglivium (1) ſuam trahunt originem a viſcerum flegmone, aut Eryſipelatode, quarum febrium, ſi rite, ac debite comparentur ſigna, atque ſymptomata cum noſtris in prægreſſa conſtitutione adnotatis, in cognitionem veniemus, eas eſſe ejuſdem naturæ, ac indolis illarum, quas deſcripſit Baglivius; ideoque obſervatis, tantum metum, & admirationem afferre non debebant. Æſtas autem fuit nimis calida, & ſicca, in qua ſiccitate, & nimio calore febres pernicioſæ exitiales nimis, & lethales admodum, ex genere coagulativarum. Per nimium calorem liquidiſſima de corpore diſſipantur, & reſi-

(1) Prax. Medic. Lib. I. Cap. IX. de Febribus malig. & meſſentericis.

reſidua humorum maſſa denſior evadit; ideoque ad morboſas concretiones redditur efficaciſſima. Celeb. Vanſwieten (1) inter obſtructionis cauſas magnum calorem numeravit, qui humores noſtros valde coagulat, quia fluidorum noſtrorum molleculas adunat, atque condenſat, ſicque illas reddit ineptas, ut per vaſorum extremorum nimis anguſtorum poſſint libere tranſire. Hæc humorum immeabilitas non tantum a liquidiſſimæ partis diſſipatione evenit, verum etiam a nimio calore, qui ad denſitatem humores diſponit, atque coagulat. Harum febrium pernicioſarum cauſam proximam in ſua Terrapeutica repoſuit Franciſcus Torti in valido ſanguinis vitio, & in fermento quodam acri coagulante maligno, ac arſenicali natura prædito humores noſtros corrumpente hærere, ex qua febris, aliaque ſymptomata ſuam agnoſcunt originem, quæ quidem febres purgantium, aut blandorum emeticorum uſu in principio, juxta autem infirmi conſtitutiones, & vires, & aliquas venæ ſectiones, dummodo neceſſariæ eſſent, & Epiſpaſticorum, & corticis Peruviani uſu debito tempore, ac repetitis vicibus dati fere omnes liberatos vidimus, quia acris humorum ſabura in primis viis congeſta, evacuata, facile ſublato fomite tales debellabantur

(1) In Boerhaave §. 1061.

tur febres. In Autumni autem principio multas quoque obſervavimus febres pernicioſas colliquativas, valde periculoſas cum nimia virium proſtratione, aurium tinnitu, aliiſque ſymptomatibus tales febres concomitantibus; optimum hoc in caſu experti ſumus Corticem Peruvianum cum Rad. Valerianæ Silveſtris aliqua doſi Diaſcordii Fracaſtori in aqua ſcorſoneræ omnia ſoluta per vices data, pro potu ordinario ordei decoctiones cum ſyrupo Corticis Citri, aut Oximel. ſimpl., quæ febres per totum quoque Autumnum una cum aliis acutiſſimis morbis perſeverarunt.

§. XI. Hiems tandem anni 1779. ſicca nimis fuit, & ingens frigus, Borea flante, plurimum incolis Romanis novum cum nive, & gelu quotidiano, quæ nives ſuper domorum tecta ad aquilonem expoſita per totum Januarii, & partem Februarii menſem perdurarunt. Pluviæ a Kalendis Decembris ad præſentem diem, in quo ſcribo, nempe Kalendis Junii numquam ſuper terram apparuere, ſublatis diebus pridie Idus Februarii, XIV. Kalend. Aprilis, XIII. Kal., & nonis Maii, quibus diebus parum, aut nil pluviæ deſcendit: inſolitum quidem, ac prorſus novum: quo tempore multæ Pleuritides, Peripneumoniæ facile in gangrenam abeuntes, Anginæ inflammatoriæ, humorales, & lynphaticæ,

cæ, Corizæ, Tuſſes, Rheumatiſmi, Convulſiones, Colicæ, Diſſenteriæ, variolæ confluentes magna cum clade puerorum obſervatæ fuerunt, multique hujuſcemodi morbis correpti interierunt. Inter alios autem morbos nimiam cladem fecit Pleuritis, quæ facile in Peripneumoniam degenerabat, deſinebatque ſine ulla prægreſſa expectoratione in gangrenam, & quatuor diebus circiter peribant. Quæ Pleuritides ſimiles ſunt illis, quæ deſcriptæ fuerunt a Gagliardi anno 1709. nam hiems nimis frigida fuit, uti quoque 1694. teſte Baglivio, & talimode manifeſtabantur: cum levi ſymptomatum apparatu incipiebat febris, ſuperveniebat dein punctorius dolor in pectore, modo inter coſtas legitimas, nunc inter, & ſub ſpurias, qui dolor interdum ad homoplatam, & aliquando ad dorſum propagabatur cum ingenti pectoris oppreſſione, anxietate, difficili reſpiratione, tuſſi ſicca, inani, aliquando ſputa cruenta apparebant in principio, virium prolapſu, nauſea, interdum vomitu rerum tenuvium, ac bilioſarum, aut vomendi inani conatu, acidis, nidoroſiſque ructibus, aurium tinnitu, fugacibus ruboribus in vultu, pulſibus bonis, modo tenuibus, & ſubdolis, deliriis, vigiliis, magna linguæ ſiccitate, albedine, ſcabritie, per lectum jactationibus,

viſcerum ardore: quandoque non manifeſtabatur dolor, aut cito diſſipabatur, quibus perniciosis infirmitatibus magna Romanorum pars una cum aliquibus ex vulgaribus Medicis perterrita, morbum peſtilentiale appellarunt, alii Epidemicum, Endemicum alii, quia tantum Romanam invadebat Regionem, ſed tamen tales ſiccitates, frigus, & morbi, ut ex aliarum Urbium relationibus conſtat, communes totius fere Europæ fuerunt: tales febres dein a multis quoque malignæ fuerunt appellatæ. Hanc ſuppoſitam malignitatem grafice deſcripſit Baglivius loco citato ſequentibus verbis: *Vulgus Medicorum, & vulgus hominum eas vocant malignas febres, quæ variis, graviſſimiſque ſtipantur ſymptomatibus, ruuntque in deterius. Hoc imaginarium malignitatis nomen imperitia Medicorum peperit, petulantia vulgus fovet. Credit enim ignarum vulgus, quoſcumque rapit febris, permitque a malignitate illius ſemper perire: credunt id plures etiam in Medicis.... Quæ nobis videntur malignæ a viſcerum phlegmone, aut Eryſipelatode fiunt, ideſt a cauſa evidente, & manifeſta: unde ergo iſta malignitas.* Ab aliis putridæ inflammatoriæ, ab aliis garulis nominibus appellatæ; donec crederet vulgus tales infirmitates eſſe prorſus inſuperabiles, & compendium omnium morborum

borum remedia non admittentes, quare, ut vulgus ſatisfieret inter tenebras, & ſine ulla indicatione curatoria tentabundi medebantur, permiſcendo omnia medicamentorum genera, ſine ullo ordine, regula, & methodo, dicentes, ut ſuam excuſarent ignorantiam, immo, ut admirationi eſſent, diligentia, atque ſolertia aſtutiſſime accuratorum, & attentorum nomen uſurpantes, *omnia fecimus*; ac ſi recta medendi methodus in omnia faciendo conſiſteret; at conſiſtit in faciendo quod eſt utile, & à morbi natura indicatur, cum ſit Medicus naturæ miniſter, & interpres, & quo natura vergit, eò ducere opportet per loca conferentia, ut legitur in magno Hippocrate. Debet itaque eſſe Medicus miniſter, & ſpeculator naturæ & morborum, donec humani corporis ægritudines ſine fraude, dolo, falſitate, atque calumnia, tuto, jucundè medeantur, & cum laude. *Aſclepiades*, ut refert C. Celſus: *Officium eſſe Medici dixit, ut cito, & celeriter, & jucunde curet* (1).

§. XII. Curativa tandem harum febrium methodus inter Medicos diſſimilis fuit, juxta diſcrepantias circa morbi qualitatem opiniones, unde maxima diſquiſitio inter Medicinæ Doctores ſuborta eſt. Inter alios Arvei ſectatores putabant, ac acerrime ſubtinebant tales fe-

(1) Lib. III. cap. IV.

febres Pleuriticas tantum mere inflammatorias, & ſimpliciter antiflogiſticam curationem admittebant, damnantes tamquam peſtem omnium purgantium genera, licet eſſent antiflogiſtica. Alii veſſicantium erant fautores, quia nullum validum adeſſe remedium ad lentores in maſſa fluidorum ſolvendos admittebant, quam acres ſales cantharidum, qua de cauſa unum ad doloris locum, alia duo brachiis, & bini femoribus applicabant, ſine ulla præmiſſa obſervatione infirmi conſtitutioni, temperamento, pulſu, & hoc pro maximo, & univerſali remedio ad prægreſſi morbi pertinaciam debellandam conſtituerunt. Primo, aut ſecundo die nulla habita ratione, ac cautela criticis diebus, & ſanguinis miſſionibus, applicabantur, quæ quoque ſine numero operantibus etiam epiſpaſticis celebrabantur; ideoque talimode naturam prævenire volebant. Quapropter vis, ac naturæ robur ad ſalutares criticas evacuationes, & humorum concoctiones tollebatur: unde miſerrime, quarta, quinta, aut ſeptima die moriebantur infirmi. Nonnulli autem ad doloris locum cucurbitulam ſcarificatam apponebant, alii Canphora, Ol. Lini cum ſpiritu fulliginis, diaphoreticis utebantur alii, quibus diverſis medendi modis, ac diſcrepantiis, infelix Medicina, quæ dictu Plinii: *Sola Imperatoribus imperat*, ad quid redacta eſt?

§. XIII.

§. XIII. Quamquam tales infirmitates veræ epidemicæ reapſe non eſſent, quia aliquæ conſimiles elapſis annis fuerunt obſervatæ, quæ infirmitates ſtationariæ, & interrecurentes appellantur, quia omni fere anno non nullæ videntur; ob multiplicem tamen ægrotantium quantitatem, & aeris ſiccitatem tales febres a frigore potiſſimum adauctæ fuerunt; nam inter alios recurrentes prædominans fuit morbus. Igitur ex dictis conſtat ab aeris frigida conſtitutione poſſe tales febres ſummopere adauctas eſſe. Frigus, ut ſupra diximus, ad denſitatem humores noſtros diſponit, convulſiones producit (1), corpora indurat (2) humorum neceſſariam impedit fluiditatem (3). Per ſummum frigus ergo adunantur, & interſe humorum noſtrorum moleculæ concreſcunt, coarctantur, atque criſpantur ſolida, perſpiratio ſummopere impeditur, motuſque febriles maxime augentur.

§. XIV. In tali pleuritide dolores aliquando ad ſuperiora vergere vidimus ſine ulla anacatarſi, quæ periculi plena eſt teſte experientia, quare Hippoc. dixit (4): *Pleuritides ſiccæ, ac ſine ſputo difficiliſſimæ, orrendæ quoque, in quibus dolores ſurſum* (*ver-*

(1) Lib. de Fracturis n. 37.
(2) Lib. de morb. Pop. Sect. V.
(3) Lib. de Fiſtul. n. VI.
(4) Coac. Prænoct. n. 381. Charter. Tom. VIII. pag. 873.

(*vergunt*). Linguæ autem ariditas, atque lividus color, quæ in talibus obſervantur ægritudinibus gangrenoſam pulmonum diſpoſitionem, atque ſtatum demonſtrant. Tales Pleuritides, ut ſupra vidimus, obſervavit Romæ Proſper Marſianus (1), qui dixit: *Scio in Archioſpitali S. Spiritus, ad quod pauperes ex Romano agro curandi afferuntur quotidie, obſervavi cadavera Pleuriticorum, in quibus latus læſum, & corruptum reperitur, cujus rei plures, & ego oculati teſtes ſumus.*

§. XV. Pleuritides ergo obſervatas ab Eryſipelate pendebant, quæ nil aliud eſt, niſi ſuperficiaria inflammatio rubro flaveſcentis coloris in vaſis minoribus, quam ſunt vaſa ſanguinem rubrum vehentia pro maxima parte locum habent (2). In Eryſipelate ergo cum pauco intermiſſo rubro in vaſis minimis ſanguinis immeabile ſerum hæret. Cuncta viſcera Eryſipelate ſunt ſubjecta docuit Hippoc. (3), dum gigni illud in pulmonibus ait, & inter cauſas Eryſipelatis in pulmone nati febres quoque connumeravit; in curatione unicam ſpem adheſſe poſuit, ut duobus, tribus, aut quatuor ad ſummum diebus per corporis exter-

(1) Comment. in verſ. 261. Hippoc. de locis in Homine.

(2) Vanſwieten in Boerha: §. 244.

(3) De morbis lib. I. cap. VIII. Chartet: Tom. VII. pag. 540.

externa diffunderentur membra, quod niſi evenerit, brevi perire infirmos toto putrefacto pulmone teſtatur. Obſervavimus, dum ad encephali membranas diffundebantur Eryſipelata, delirium una cum infirmorum interitu naſcebatur. Tales Pleuritides pulchre deſcriptæ ſunt a Baglivio (1), qui ait: *Inter difficiles pernicioſas, curatu non facile Pleuritides, eſt pleuritis ſicca, ſive eryſipelatodes acutiſſima, quæ fit a ſero acri, tenui, urente, pulmones velociter occupante, lacerante, cum pauco dolore, & ægrum derepente jugulat Medicis non cogitantibus*. Talis morbi grafice ſigna dedit Hippocrates (2): tuſſis nempe inanis, paucus dolor, fugaces genarum rubores, magnæ linguæ ariditas, viſcerum ardor, jactationes &c., quæ ſymptomata a nobis in præſentiarum adnotata ſunt. *Omnis*, inquit Ballonius (3), *dolor lateris fugax malignus eſt, & eryſipelatodes, & fere necat*. Et alibi (4): *Epidemicæ tunc erant pleuritides, & cachoetes, ſine ullo motu violento præhendebant. Dolor erat fugax, & cum ægri bene habere putabantur, & immunes a dolore lateris interibant: erant a ſero acri indomito cuniculos, & viam ſibi parante eryſipe-*

(1) Prax. med. lib. I. cap. IX. Apend. ad Pleurit.

(2) Loco citato.

(3) Epidem. pag. 165.

(4) Loco citato pag. 32.

ſipelatode, *non phlegmonoides*. Ex dictis igitur concludimus has pleuriticas febres a tenui, acrique latice in minimis pleuræ, pulmonumque vaſis ſtagnatione eſſe productas, ex qua facile cuncta obſervata explicantur ſymptomata, unde gangrena, atque mors.

§. XVI. At quiſquam fortaſſe dixerit, me quandam ex arbitrio excogitatam expoſuiſſe theoriam, ita ut tales morbi ſolum eryſipelatoſi crederentur, & rem ſomniaſſe, quæ ſuapte natura difficilis non ſolum eſſet, verum etiam impoſſibilis cognitu, atque aſſerere, ut unicus evaderem. At hæc morbi idea ſomniata a me prorſus non fuit, neque unicus, atque peregrinus inter tot, tantoſque excellentes in Arte Viros exurgere volui, theoriam inventam, atque hypoteticam exponens; nam experientia teſte, hæc aſſerere conatus ſum. Si rite, ac debite ſigna, & morborum curſus obſervati fuerunt, præſertim dum atmoſphera incepit calidior fieri, morbifica certe cauſa interna pulmonum obſidente in eryſipelatodes faciei, crurum, pedum &c. cum totali ægrorum levamine potiſſimum in pectore, externari videtur. Si vero hæc lynphaticus, acriſque humor ad intus retrocederet, en ſymptomatum adauctio, en anxietates, en celeres ruinæ, en gangrena, en mors; hanc veritatem confirmare poterunt,

qui

qui in infirmitatibus hujuſmodi tales inſpexerunt effectus.

§. XVII. Curativa methodus varia fuit, uti diximus, variæque opiniones in Medicinæ Doctoribus, cum magna ægrotantium pernicie, cura mere antiphlogiſtica nimis periculoſa fuit teſte experientia per repetitas ſanguinis miſſiones, quia morbus non erat in ſanguine, ut in vera pleuritide, ſed in lynpha, aut ſero acri, cujus irritamento pulmonum fibræ, vaſorumque parietes criſpabantur, contrahanturque. Semel Baglivius (1) ſalvatellam ſecabat, fomentis, potionibus ex papavere rheados, ex violis, gelatina cornu Cervi in tali pleuritide curanda utebatur. Ex ſalvatella ſemel ſanguinem mittebat Baglivius, non autem repetebat venæ ſectiones; nam, ut experientia clare demonſtravit, per repetitas phlebotomias in peripneumoniam, & gangrenam facile tranſibat pleuritis. Hæc veritas non innotuit Ballonio (2), qui dixit: *Cuidam pleuritico ſecta vena dolor diſparuit; an ideo ſecuros de morbo eſſe oportet? minime; nam multos ſtatim peripneumoniacos evaſiſſe vidimus*. Et alibi (3): *Notavimus multos oriri dolores lateris, qui, aut ſecta vena, aut aliquo remedio*

(1) Loco citato.

(2) Epidem. fol. 22.

(3) Loco citato fol. 154.

dio ſumpto ſtatim evaneſcunt, & ideo ſecuros eſſe non oportet; nam inde ſæpe peripneumonia ſuccedit. Idem (1) alibi dixit, dum de pleuritide epidemica loquebatur: *Innumeri fato eripiebantur, quibus ſecta foret vena*. Et Vierius (2) in ſimili conſtitutione ait: *Hanc vero valde noxiam extitiſſe depræhenſum eſt*. Et Jacobus Eoteus, ut Schenchius refert (3), inquit: *Fuit a multis obſervatum plures evaſiſſe, quibus venæ ſectæ non fuiſſent, quam quibus ſectæ fuerint*. Ergo non ſolus hiſce temporibus veræ ſectiones damnoſæ fuerint in tali conſtitutione, verum etiam in aliis ſimilibus prægreſſis, ut modo citati teſtantur Auctores. Sed mirum non eſt, ſi ſummopere Medici ſanguinis miſſionibus in præſentiarum uſi ſunt; nam Romæ omni tempore, in minimo quovis dolore, anxietate, pectoris oppreſſione, licet hypocondriaca, hyſterica, capitis dolore, aut a ſtomaco, primiſque viis proveniente, rigore &c. unanimi fere omnium Medicorum conſenſu (exceptis paucis) ſanguinis miſſio imperatur. At hi Medici indigni prorſus ſunt, ut hoc appellentur nomine; ut refert Joſeph Quarin (4): *Medicorum nomine indigni ſunt, qui*

(1) Epid. lib. I.

(2) Lib. obſer. med. pract.

(3) Lib. VI. de vera Plaurit. deſl.

(4) De meth. inflam. meden. cap. I. de febr. in genere.

qui ob quemlibet æſtum , & anxietatem , ſanguinem detrahunt : Inde Lomnius , & Vanſwieten omne corporis robur ſolutum , ac hydropes , Sydenhamius manias , Tiſſot in hyſtericis ſpaſmos , & convulſiones viderunt . Magno errore , inquit Ballonius , *tenetur magna Medicorum pars , quæ ut nil non agere videatur , exiſtimat ſe parum proficere ægris , ſi non quidquam præſcripſerit , propinarit , ac ſecuerit , & tum temeraria , hæc medendi methodus per manus tradita ad Juniores transfertur , magna ægrotantium clade Medicina adminiſtratur* : & tales Medicos *Philematicos* appellavit Marſianus (1) . C. Celſus ſimiliter ait : *Cupientes enim ſanare ægrum ex tempore jugulabant . Sedulo itaque videant*, inquit Lanciſius (2) , *quod ſcripſit Hippocrates circa indicationes , ac ſigna pro mittendo ſanguine , & de tempore quoque , in quo convenit , quod circa mali principia eſſe ſolent , conſulant Doctiſſimos Viros Ballonium , & Marſianum* . Damnoſas quoque in tali pleuritide animadvertit Gagliardi (3) , idem obſervarunt Bartolinus (4) , Geſnerus (5) , Vicrus

(1) In comment. Hippoc. ad lib. II. de morb. Mulier. verſ. IX.

(2) De ſubitanea morte lib. II. cap. V. n. VII.

(3) Loco ſupra citato .

(4) Natur. curioſ. Germaniæ an. I. obſer. LI.

(5) Lib. V. epiſt.

crus (1), Bartolettus (2), Sydenhamius (3), aliique.

§. XVIII. Stimulantium quoque uſum damnoſum nimis in prægreſſa conſtitutione obſervavimus, quia ſummopere ſolidorum elaſticitatem, & criſpaturam augebant, ut infra demonſtrabimus.

§. XIX. Uſus Canphoræ non erat eque tutus, ob ejus forſan alchali volatile, per quod ſolidorum criſpatura augebatur. De Canphoræ natura, uſu, & experimentis vide Bartolinus (4), Tachenius (5), Paracelſus (6), Crantz (7), Meobius (8) Helmontius &c. Opiata damnoſa fuere, quia lentorem nimium augebat in fluidis, febrem augendo, delirium promovendo; nam nata phrenitide miſerrime moriebantur infirmi: ea vero ſolum proficua experiebantur in caſibus a Clariſſimis Viris Huxan, & Hœnio adnotatis.

§. XX. Ad duo tantum ſumma capita Medicina redigi poterit, nempe in ſtricto, & laxo, ſi nimia adeſt rigiditas, ac criſpatura

(1) In obſervationibus.

(2) Method. de Reſpirat. lib. V. cap. IV.

(3) Sect. V. cap. V.

(4) Acta Med. Volum. II. pag. 106.

(5) In Hippoc. Chymic. cap. XXI.

(6) De Philoſoph. vital. Tract. II. cap. IV.

(7) In materia medica To. I.

(8) In Anatom. Canphoræ pag. 53.

tura in ſolidis, tunc laxandum per emollientia, lenientia, laxantia, ſi laxitas, tunc roborandum per ſtimulantia, roborantia, laxatis fibris debitam reddendo elaſticitatem. *Vide Boerhaavium, & Hallerum*. In prægreſſa igitur pleuritide ſolidorum laxitas promovenda erit, quia a nimia rigiditate eorum pendebat morbus. Scripſit Duretus (1): *Coctionis commoda in pleuritide ſunt hæc, laxitas partis affectæ, & materiæ præparatio in craſſitie meabili, exitu facili, tum ipſa meatuum libertas, & fortior naturæ contentio*. Non autem criſpaturam augere in ſolidis per ſtimulantia, & præſertim per veſſicantia. Si ſupervenire dein videbant delirium, ſtatim veſſicantia apponebant, ſi àntea non fuerint applicata, & jam applicatis, alia apponere faciebant: donec (talimode Philoſophantes) humor, qui, aut per metaſtaſim, aut per liberum deſcenſum cruoris in pulmonibus impeditum a ſpirandi difficultate, revelleretur, qua data evacuatione in delicata, ac medullari encephali pulpa tolleretur compreſſio, delirium efficiendo.

§. XXI. A veſſicantium uſu in progreſſa pleuritide plures mortuos vidimus: obſervavimus quoque linguæ ariditatem, & ſitim augeri poſt veſſicantium applicationem præſertim

(1) In Coac. fol. 256.

tim in infirmis aduſtis, ſiccis, gracilibus, bilioſis, quam ſitim a Baglivio (1), veſſicantium ſitim appellatur. Durat hæc juxta eundem ita vehementer per triduum circiter, prout ſcilicet citius, aut ſerius, aut parcius, vel uberius acres cantharidum ſales e maſſa ſanguinis fuere ſeparati. Experimenta a citato Baglivio (2) in vivis canibus tentata ſequentia demonſtrant. Obſervavit in cane moloſſo, in cujus dexteræ jugularis uncias duas cantharidum tinturæ iniectæ fuere, poſt primam iniectionem aquea, & viſcoſa vomuit, viſcidam ſalivam eiciebat ex ore, finita operatione exanimis cecidit humi, non potens amplius caput attollere, ſitiebat vehementiſſime ullulabat, convellebatur, poſt ſex horas graviter ululando mortuus eſt. Secto cadavere collum ubi vulnus inflictum fuerit, erat ſphacellatum, in dextero corde ſanguis nigerrimus, & nil coagulatus, in ſuperficie minimis veluti olei guttulis perfuſus, in ſiniſtro duo parvi polipi inventi ſunt, reliqua viſcera ſana erant, in ciſtide nigra bilis. Simile in alio tentavit experimentum: ideoque deduxit cantharides eſſe potiſſimum capiti obnoxias, adeo ut morbis inflammatoriis, & peracutis ſummopere ab eorum uſu cavendam erit.

(1) Differt.de uſu,& abuſu Veſſican. cap. II.

(2) Loco citato cap.I.

erit. Ex ægrotantis vena ſanguinis uncias octo mitti cepit, qui in binas diviſit partes, una tantum pars cum cantharidum pulveratarum ſcrupulo uno aſperſa fuit, coagulatus eſt, ut alius, poſtea plumbeo, & ſubnigro tingebatur colore, donec tandem ſubtilis pellicula ſubnigra in ſuperficie apparuerit; demum per totam ſanguinis ſuperficiem maxima veſſicularum copia ſupercrevit, quæ ruptæ ſubnigrum ſundebant laticem, totus demum ſanguis diſſolutus eſt in ſerum nigrum, atque ſublividum. Varias refert hiſtorias quorumdam ab uſu veſſicantium interemptorum, inter alias hiſtoriam cujuſdam juvenis pleuritide ſicca detentum refert, qui gracilis, & bilioſi temperamenti erat, tuſſis ſicca, calor febrilis exurentiſſimus, pulſus durus, & altus, ſitis, urinæ craſſæ, & ſummopere rubicundæ aderant, huic circa decimatertia morbi die ſex veſſicantia applicata fuerunt, ſed die ſequenti delirium ſupervenere, ſputi ſuppreſſio, tremor, motus epileptici &c. die vigeſima perit. Ex experimentis ergo Baglivi inſtitutis patet, quod cantharides humores noſtros magnam ſolvendi vim habeant, ſed ſimul humores ſolutos ad putredinem diſponant. Hujus ſententiæ fuit Vanswieten (1), qui dixit: *Quod cantharidum uſus minime tutus ſit, ubi vali-*

(1) In Boerhaav. §. 890.

valida febris, calor magnus, & putredinis metuendæ ſigna.

§. XXII. Veſſicantium inventores primi fuerunt Arabes, ut Oribaſius aſſeruit, qui primus illorum fuit qui de veſſicantium uſu ſcripſit, & in ſoporoſis affectibus tantum utebantur. Veſſicans juxta Claudinum (1) eſt medicamentum calidum, doloroſum, exulcerans, ſeroſos evacuans humores. De his loquens Celeberrimus Vanswieten ait (2): *Hæc .... ſunt fortiora adhuc epiſpaſticis, & parte corporis cute tectę applicata ſolvunt epidermidem, illamque attollunt in veſſiculas liquido diſtentas, ex inde nomen habent. Omnia jam, quæ validiſſimam inflammationem excitare valent ſunt etiam veſſicantia.* Et paulopoſt: *Cum autem omnia hæc inſignem acrimoniam habeant, & irritando parte, cui applicantur, ſæpe motum ſanguinis in toto corpore augeant, ideo in illorum uſu majori cautela ſemper opus erit.* Quamquam Heurnius, ut refert Sinibaldi (3), veſſicantium commendator, ac fautor eſſet, in morbis tamen acutis apponi prohibuit, dicens: *acutis morbis non admovendum*, & Ætius: *in calidis, & ſiccis*

(1) De ingreſſu ad infirmos lib. II. cap. VII.

(2) In Boerhaav. §. 396. 4. *Veſſicantibus &c.*

(3) Appollo Bifrons diſſert. dell'abuſo de' Veſsiganti.

ſiccis affectionibus his ego non utor. Veſſicantibus numquam uſi ſunt antiqui Græci, & Galenus (1) de illorum uſu in morbis tantum localibus mentionem fecit, in aliis acutis inflammatoriis morbis, aut febribus minime. Doloroſiſſimis talibus medicamentis juxta Hippocratem humorum pervertuntur concoctiones, dum quiete indigent. Idem Galenus aſſeruit, utendum non eſſe callidiſſimorum medicamentorum in bilioſis febribus, vigiliis, deliriis &c. *In acutis ſimpliciter, & inflammatoriis nullus Auctor proponere eſt auſus veſſicantia, præter unum Villiſium, qui utitur illis in Peripneumonia, quanta utilitate ipſe noverit, me enim aſſeclam non habuit*. Scripſit Sinibaldi (2), & Vanswieten (3): *Cum ergo omne irritans, calefaciens impetum augens damnoſum in Pleuritide habetur, quid cogitandum eſt de veſſicatoriis ex cantharidibus paratis*. Ex dictis ergo facile deducitur veſſicantium uſum in talibus pectoris morbis nimis caute tenendum fore. Multos in magno Hippocrate legimus (4) per criticas evacuationes, & ſine ullo veſſicantium uſu, eſſe tantum liberatos, ut accidit in Pictonis filio: *Bilioſa eruperunt*,

(1) I. ad Glauconem IX. meth. IX. IV. Tuend. valetud. V. & VI.

(2) Parva medendi method., ſeu Animadver. praticæ Animad. X. Part. I.

(3) In Boerhaav. §. 890.

(4) In Epidem.

perunt, *&* *ſtatim ſopor ſedatus eſt*. In muliere moroſa pariter per nigras urinæ evacuationes libera evaſit, & Virgo Lariſſea per largam narium hæmorrhagiam, & copioſum ſudorem liberata eſt ſexta die, uti quoque infirmus in Dealcis horto, qui modo per hæmorrhagiam, nunc per vomitum, diarrheam, & ſudorem modo, a natura ſanatus eſt.

§. XXIII. Quamquam ex dictis patet veſſicantia remedium eſſe violentum, irritans, ſtimulans, ut ipſe Baglivius aſſerit (1): *veſſicantia ſtimulando agunt*, *&* *inter ſtimulos principem obtinent locum*; tamen laudavit illa, ſi magna ſpirandi difficultas, & anachatarſis ſupreſſio ſupervenerit, ſtatim veſſicantia bina tibiis apponere faciebat, & teſtatur ex centenis ægris pauciſſimos obiiſſe dum ita tractabantur in epidemica Pleutritide, quæ Romæ hiemali tempore anno 1694. graſſabatur.

§. XXIV. Duobus tantum veſſicantibus uſus eſt Baglivius, non autem quinque, aut ſeptem, ut in præſenti anno obſervavimus. Moderatus veſſicantium uſus optimus eſt, & non ſpernendus in aliquibus infirmitatibus; abuſus autem valde damnabilis in omnibus fere ægritudinibus, & præſertim in obſervatis tran-

(1) Prax. med. lib. I. cap. IX. & in diſſert. de uſu, & abuſu veſſicant. cap. III.

tranſactis morbis pectoris, licet expectoratio ſuppreſſa fuerit, & reſpiratio difficilis, & moleſta. Ex dictis ergo facile deducitur, quid ſint veſſicantia, eorum natura, atque vis, quomdo non ſolum ſuper fluida, verum etiam in ſolida agant, quæ melius apud clariſſim. Vanswieten, Huxan, alioſque obſervari poterunt.

§. XXV. In aliquibus pleuriticis proficuam purgationem vidimus, non ſic ſanguinis miſſionem, & vice verſa. De hoc variis in locis locutus eſt Hippocrates, & Romæ Celeberrimus Marſianus, & Pariſiis Doctiſſimus Ballonius ſcripſere, & dedere ſigna, ubi conveniat venæ ſectio, aut purgatio. Quando ab acri bile, & a ſtimulante humore originem habeat pleuritis, ut in noſtris nullam venæ ſectionem mentionem fecit Hippocrates. Habemus ex Aſclepiade, ut refert Celius Aurelianus (1), qui primus Græcus Medicus magna cum laude Romæ Medicinam exercuit, tales pleuritides frequentiores eſſe, & Romæ, & Athenis, quia in humili loco ſunt poſitæ, & auſtris mirum in modum ſubjectæ, unde venæ ſectiones ſunt nimis damnoſæ. Id quoque animadvertit Hollerius dicens: *Pleuritides juvare flebotomia locis perflatis ab aquilonibus, ledi vero locis quæ*

(1) Cap. de Pleuritide.

quæ obſervabantur auſtris. Si dolor ad claviculam aſcendat, aut circa mammam, aut dorſum, aut partes ſupernas circa collum a ſanguine fieri Hippocrates dixit (1); unde venam ſecare jubet, ſi vero ſub ſepto tranſverſo ad hypocondria circa coſtas mendoſas, ac præcordia ſentiatur, tunc purgatione curatur, quia morbi fomes, ut obſervat Baglivius (2): *In præcordiis eſt, ac in meſſenterio, putris, indigeſtaque cachochilia, quæ quotidie fermentans, repetitis circulationibus in pulmones depluit, morbumque facit, ac fovet*. Optime ad eas cognoſcendas ſigna dedit Duretus (3). In rebus dubiis caute procedebat citatus Baglivius (4). Solebat primis diebus clyſteribus mollire etiam bis in die, maxime ſi magna erat cachochiliæ copia in præcordiis, & pulmo nimis inflammatus, quod ſi multa non aderant inflammatorii affectus ſigna, & lingua humida, urina non multum accenſa, & calor non multum acris purgatio etiam præſcribenda ex Caſſia, Syruppo Roſato Aureo &c., & monet circa purgationem: *Tenenda ſunt præcepta a Magiſtris artis adnotata*.

§. XXVI. Tandem meæ Diſſertationi finem

(1) II. & IV. Acutorum.
(2) Prax. Med. lib. I. cap. IX. Apend. ad Pleuritidem.
(3) In Hippoc. coac. fol. 338.
(4) Loco modo citato.

nem imponam, curativam methodum exponendo, quæ in prægreſſis pectoris infirmitatibus proficua obſervavi. Accerſitus ſtatim temperamentum, ætatem, conſtitutionem, naturam, & ſtatum infirmi, pulſus dein, abdominis viſcera, linguam, urinaſque obſervabam. Si pulſus validi erant, & valde duri, & infirmus pletoricus, ac ſucci plenus, ſpirandi difficultas, dolor maximus, ſtatim præmiſſo emollienti clyſtere, venæ ſectionem inſtituere faciebam, uſque dum non miteſcebant ſymptomata. Si vero vires tam valide non erant, ſed difficilis aderat reſpiratio, cum anxietate, tuſſi ſicca, frequente, ſtatim ſalvatellam incidere faciebam, atque lateri affecti, uti ex Lanciſio, ſcarificationes per cucurbitulas, fomentationes dein emollientes ad locum doloris primum, ſupra abdomen dein, donec laxatis imi ventris viſceribus a loco affecto ad inferiores partes liberior circulus daretur fluidis, uti quoque plantis pedum, præſertim in illis, in quibus extremorum refrigeratio animadvertebatur; adeout ſanguinis in extremitatibus reſtitueretur circulus, & ex ſuperioribus ad infernas partes equalis obtineretur circulatio. Oleum autem recenter tractum amygdalarum dulcium cochleatim ſumptum, aut ex Clariſſimorum Virorum conſilio cum oximelle ſimplici miſtum, ſuperbi-

bendo

bendo decoctionem pectoralem cum nitro; donec aliquantulum fibræ nimis rigidæ, ac tenſæ relaxarentur, & dolor, qui eſt fibrarum diſtractio leniretur, præſcribebam. Altera die ſi in thorace, & præcordiis cum linguæ albedine, aliqua nauſea, vomitu, aut vomendi conatu, ructu, oris amaritie, alvi ſiccitate, aliiſque ſignis ſupra indicatis adeſſent, tunc antiflogiſticam perſcribebam purgationem, nempe pulpam Caſſiæ noviter tractam in ordei decoctione ſolutam, aut Electuarium Policreſte cochleatim ſumptum, donec acris, urens, & congeſta in primis viis educta ſaburra, aliquantulum remitterentur ſymptomata, ex quibus aliqua blanda purgatione nata, ſtatim ægrotantium levamen experiebatur. Hiſce jactis, ſi neceſſe erat aliqua ſanguinis miſſio inſtituere juxta vires faciebam. Si vero dolor punctorius perſiſtebat in pectore, epiſpaſticum interdum, fruſtra aliis adhibitis, levamen attulit. Solamine aliquo obſervato per antiflogiſticam purgationem, tunc ſtatim Caſſiæ dilutum iterum perſcribebam, ut ſupra, per tres, aut quatuor alias vices juxta exigentiam, quæ compeſcendi dolorem virtutem habet; reſolvit enim, maturat, ac lenit partes doloribus exaſperatas, non intermiſſis autem clyſteribus emollientibus, fomentis &c. Maximum dein beneficium expertus ſum a cremore

more tartari ſolutum primum cum aliqua parva doſi aquæ pectoralis, dein addere faciebam aliquas uncias Olei Amygd. dulc. recent. ad uſum ſaponeæ, & ſic cochleatim ſuppeditabatur infirmis, ſuperbibendo emollientem decoctionem cum maximo ægrotantium beneficio, atque levamine. Per cremorem enim tartari viſcidum, ſeu iners lympha incidebatur, bilioſus, acriſque latex, ſeu mordens humor in ſtomaco, primiſque viis congeſtus deſtruebatur, nauſea, oriſque amarities evaneſcebat, bilioſam materiam ad inteſtina propellebat, & ab his ex alvo eliminabatur, qua expulſa ſtatim in ægrotantium vultu allevatio obſervabatur, & in quatuor, aut quinque, aut ſeptem ad ſummum dies, per multos hoc modo feliciter liberavi. Potiones frequentes jubebam nitratas ex decoctionibus florum malvarum, rheados, radicis graminis cum pauxillo oximellis ſimplicis edulcoratæ, victus tenuis, & ſimplex &c. & hac ſimplici tantum methodo in talibus Pleuriticis me proficere ſummopere animadverti.

PETRI ORLANDI ROMANI

PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ DOCTORIS

DE EXSICCANDARUM

PALUDUM PONTINARUM

UTILITATE

Deque infirmitatibus, quæ ab aquis ſtagnantibus

EXORIUNTUR

DISSERTATIO

CUI ALTERA ACCEDIT DE MORBIS

AB ANNO CIↃIↃCCLXXVIII. AD CIↃIↃCCLXXXII.

ROMÆ OBSERVATIS

AD PIUM SEXTUM

PONTIFICEM MAXIMUM.



ROMÆ MDCCLXXXIII.

EX TYPOGRAPHIA JOANNIS ZEMPEL.

SUPERIORUM PERMISSU.

Quanta vales animoſitate feſtina, ut dignus tanta re emerſiſſe judiceris, qui jam nunc omnium admiratione laudaris.

Caſſiodorus Lib. II. Epiſt. XXIII.

Siccentur . . . . . pontinæ paludes, tantumque agri ſuburbanæ reddatur Italiæ.

Plinius Hiſt. Nat. Lib. XXVI. Cap. IV.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

PIO SEXTO

PONTIFICI MAXIMO.

PETRUS ORLANDI

FELICITATEM.

EN Tibi, Beatissime Pater, Opuſculum, quod cum de percipienda utilitate agat in exſiccandis Pa-

 lu-

ludibus Pontinis, melius quam ad pedes Tuos humillime projicere haud quidquam putavi. Si dignum eſt Optimo Principe tueri Cives, Populos beatos reddere, augere fortunas, quanto magis Tibi glorioſum erit, Clementissime Pater, omnia hæc in unum collegiſſe, adeout reſtaurator non ſolum, ſed & adauctor Annonæ Romanæ, & humanæ vitæ defenſor in jam deperditis agris excolendis, & in Latini Cæli ſalubritate reſtauranda vocari

ri jure meritoque poſſis. Si Majores noſtri, ſi Imperatores, quibus univerſi Orbis terrarum limites quodammodo videbantur anguſti, tot labores, tantam curam, tantumve ſtudium impendere ad acquirendam, tuendamque aliquantulam hanc, ut ita dicam, eorum univerſæ poſſeſſionis partem; quid cogitandum, quid dicendum de animi Tui magnitudine, de ſumma Tua conſtantia, deque tua maxima ſollicitudine ad felicitatem magis

magiſque Tuis populis comparandam, niſi, quod hac in re cum Magni Auguſti factus ſis æmulator, atque ſectator, Te, ut ipſe olim vocatus, habere poterimus tamquam omnium Liberatorem, ac præſtantiſſimarum artium reſtitutorem. O nos vere felices, quibus datum eſt a Supremo Numine, Te, ſuo in terris Vicario, atque noſtro Patrono Romani Cæli ſalubritate, frugibus abundantioribus, & regiminis Tui dulcedine perfrui poſ-

poſſe! Quæ cum ſane omnium clara, atque perſpicua ſub oculis conſiſtant, nil mihi rem adeo tenuem offerenti remanere puto, quam ut eam charitatis Tuæ partem, quæ humanitate, & facilitate ſingulari continetur, tribui a Te, concedique poſtulem; & quoniam cæteris omnibus maxime patere voluiſti, mihi uni, ut ſpero, intercluſam poſt felicem fauſtumque reditum Tuum e Germanico itinere eſſe non patieris. Ego autem pedes Tuos

Sanctiſſimos exoſculans, Deum oro, atque obſecro, ut Te non Tua ſolum, ſed etiam communi omnium cauſa quamdiutiſſime incolumem ſervet, ac ſoſpitet.

Romæ XII. Kalendas Martii CIϽIϽCCLXXXIII.

ADPROBATIO.

UT munus mihi a Rmo Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro nuperrime demandatum, accuratiſſimè implerem, ſedulo perluſtravi duas Petri Orlandi Diſſertationes, quarum altera inſcribitur: *De exſiccandarum Paludum Pontinarum utilitate*; altera autem: *De Morbis ab Anno* 1778. *ad* 1782. *Romæ obſervatis*; in eiſque nihil deprehendi, quod Catholicæ Fidei repugnet, nihil quod moribus ad honeſtatem compoſitis adverſetur, nihilque tandem, quod Principum dignitatem, majeſtatemque vel aliquantulum lædat. Contra ea, quum illarum prima quarumdam ſylvarum, ad peſtiferos arcendos ventos, marinaſque nebulas cohibendas, utilitatem renunciet ac ſublatarum, a ſtagnantibus aquis, exhalationum nocentiſſimos, æſtate potiſſimum, effectus prodat, nec non Romæ oborta a Tyberis alluvionibus, detrimenta, & ea quidem maxima patefaciat, ac demum hiſtoricum complectatur, autenticum monumentum illorum, qui ſive Romani Conſules, ſive Imperatores, ſive Pontifices fuerint, Pontinas abſumere, atque exinanire Paludes conati ſunt; altera vero, quum, præter abditas, quas in apricum proferre nititur, phyſicaſque Morborum cauſas, ab anni temporibus, prout hoc, illove modo ſe habent, diverſos progigni Morbos, ipſa experientia duce, commonſtret, ac feliciores tradat eiſdem adhibitas curationes, multoſque retegat atque refellat vulgarium Medicorum errores, Egomet quidem duas haſce Diſſertationes, ob rerum, de quibus agunt, præſtantiam, earumque in Medicina facienda frequentiſſimum uſum, dummodo id ſua Rmus

Rm̃us Sacri Palatii Magiſter auctoritate confirmet, dignifſimas habeo, quæ typis mandentur, publicamque lucem aſpiciant. Romæ pridie Idus Februarii 1783.

Sigiſmundus Toncius Romanorum Archiatrorum Collega, in Sancti Spiritus, Divique Gallicani Noſochomiis Primarius Medicus, atque utrobique perhonorificè exauctoratus, in Archigymnaſio Romano Publicus Medicinæ ſeniorque Lector, Regiæque Scientiarum Academiæ Neapolitanæ Sodalis.

ADPRO-

ADPROBATIO.

DUplicem Diſſertationem, alteram, cui titulus: *De exſiccandarum Paludum Pontinarum utilitate*; alteram: *De Morbis ab Anno* 1778. *ad* 1782. *Romæ obſervatis*; jubente Rmo P. Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro attente perlegi. Utriuſque utiliſſimum argumentum, Petro Orlandi Auctori honorificum. Sed & prima noſtrorum temporum circumſtantiis maxime accomodata videtur, quibus Magni Principes nullis aut curis parcunt, aut ſumptibus, ut publicum bonum promoveant, uberrimos Civium induſtriæ in re præſertim Agraria fontes aperiant, Subditorumque per reſtitutam aeris ſalubritatem numero perſpiciant, & incolumitati. Altera Medicinæ ſtudioſis maxime ſe commendat, quibus cordi eſſe debet, ut congeſtis periodicis accuratiſque Morborum obſervationibus, facultatis, quam profitentur, uſum in dies expeditiorem reddant tutioremque. Cum proinde in iis laudatæ Diſſertationes verſentur, dignas exiſtimo, ut publicam aſpiciant lucem; cum præſertim nihil in iiſdem deprehenderim aut fidei, aut bonis moribus repugnans. In quorum &c. Romæ ex Collegio Calaſanctio 20. Februaii 1783.

Hieronymus M. Fonda Scholarum Piarum, & in Archigymnaſio Sapientiæ Romano Publicus Phyſicæ-Experimentalis Profeſſor.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

F. A. Marcucci ab Immac. Concept. Patr. Conſtant. Epiſc. Montis-Alti, ac Viceſg.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Maria Mamachius Ordin. Præd. Sacri Palat. Apoſtol. Magiſter.

De exſiccandarum Paludum Pontinarum utilitate, deque morbis, qui ab aquis ſtagnantibus, Tyberiſque alluvionibus derivantur.

DISSERTATIO.

§. I. QUantæ utilitatis ſit Regionum Incolis cujuſcumque generis ſtagno liberum curſum reſtituere, locaquê paludoſa plane exſiccare, neminem ignorare compertum eſt. Quid revera Romani Reges, Conſules dein, & Imperatores, Summi denique Pontifices ad removendam Latini Cæli inſalubritatem a paluſtribus locis productam non effecerunt? Hinc præclara eorum nomina ſumma cum laude poſterorum memoriæ commendata ſunt. Quod cum idem Summus Pontifex PIUS VI. feliciter regnans ſit aggreſſus, quis eſt, qui non videat, quantum gloriæ ſit conſecuturus, ſi opus jam ſuſceptum, non modo utile, ſed neceſſarium ad optatum perduxerit

xerit finem, cum hoc ipſo populi ſibi commiſſi commodo, & incolumitati quam maxime conſulere videamus? Quod bene proſpectum ab Optimo Principe, in cauſa fuit, cur tantum opus ſuſciperet, atque hoc modo ſiccatis undequaque Pontinis Paludibus, aggeribus munitis, corrivatiſque fluminibus, repurgato, reſtauratoque agro latino, priſtina, ac vehementer expetita Romani aeris ſalubritas reſtitueretur. Cujus vero operis executioni curandæ quantumnam, Deus Immortalis! præbet auxilium præſtantiſſimi S.R.E. Cardinalis Guillelmi Pallotta Sanctitatis Suæ Pro-Theſaurarii aſſiduus labor, ſtudiumque aſſiduum! Ad æternandam tanti Principis, tantique operis memoriam hujus Almæ Urbis Conſervatores ſuis in Capitolinis ædibus marmoream poſuere inſcriptionem (1). Cum autem veritas hæc Maje-

(1) PIO VI. PONT. MAX.
ANNO MDCCLXXX.
A VOLSCORVM REGIONE REDVCTI
OB EIVS PROVIDENTIAM
ITINERIBVS COMMVNITIS
ET AGRIS PALVDVM CORRIVATIS
APPIA ITALIÆ
AGER PONTINVS VRBI REDVCTVS EST
S. P. Q. R.
PERFECTVM AB OPTIMO PRINCIPE
GRATVLANS
QVOD SÆPE MAIORES FRVSTRA TENTAVERANT.

Majeſtati Mariæ Thereſiæ Romanorum Imperatricis Reginæ Ungariæ, atque Boemiæ innotuerit, hujuſcemodi opus etiam ipſa ſuſcepit, paludes nempe, quæ in Comitatibus *Weſtprim*, & *Hulveiſenburg* ſeptem leucarum ſpatio extendebantur, originemque a fluminis *Sarviz* inundationibus trahebant, diſſicandas curavit.

§. II. *Paululum aquæ in altitudinem, & palam latius diffuſæ, palus a Varrone* (1) appellatur. Omne ſtagnantium aquarum genus in aliquo terræ ſinu parum profundo, quæ curſu, motuque carent, ibique quieſcentes, niſi fuerint a ventis exagitatæ, ſub paludum nomine intelligitur. Sunt ad paludum genus referendæ lacunæ, foſſæ, lacus, ſtagna, ſcrobes, aliæque corruptæ, ac maleolentes aquæ in aliquo limoſo terræ ſinu ſtagnantes, cœnumque continentes (2). Lacus, ſtagna, puteos, & maria, aquas ſtativas appellavit *Plinius* (3). Ex diverſis aquarum ſpeciebus paludes ſuam agnoſcere quæque originem, a pluvialibus nempe, marinis, fluviatilibus, mineralibus, dulcibus &c. Paludes a pluvialibus aquis collectæ, minus noxiæ ſunt, quia æſtivo tempore facile ſiccantur, innoxiæque pariter ſunt, quæ a recenti, limpi-

(1) Lib. IV. de ling. Latin. ad M. T. Cicer.

(2) Fort. Fidelis de Relat. Med. Lib. I. Cap. V. Lanciſius de nox. Pal. effl. L. I. P. I. C. I.

(3) Scalliger. Còm. in Varron. loc. cit.

limpidaque perluuntur aqua. Si autem cum his marinæ, aut minerales conjungantur, facillime putreſcunt (1). Aquæ ſalſæ lentè motæ dulcium corruptionem adaugent (2). Aqua marina tam facile ſtagnans corrumpitur, ut ſi illa totius maris per motum perennem, ventorum vim, per aquas undique ex univerſo percurrentes, ac ob circulationis perennitatem per viſcera terræ factam, quæ quatuor modis juxta *Baglivium* (3) abſolvitur, non foret exagitata, totum inficeret Orbem terrarum (4).

§. III. Ex paluſtri, olidaque tellure aeris inſalubritas, quin etiam peſtilentialis oritur aer, maximeque corpori humano periculoſus (5). Paluſtres aquas pernicioſas eſſe demonſtravit *Hippocrates* (6), atque docuit (7); & *Lanciſius* (8) plurimis experimentis comprobavit, ſalubriorem eſſe aerem ſiccum, quam humidum, paludoſum, & cœnoſum. Paſſim apud non nullos legitur Auctores (9), quod ne quis juxta paludes, vel ſere,

(1) Donius de Reſtit. Salub. agri Rom.

(2) Lyl. de la Boë n. 145. Zacchiroli ſopra l'aria del Ceſenatico.

(3) Differ. Var. Arg. C. III.

(4) Boyle della ſalſedine del mare.

(5) Frid. Hophmannus de venen. in aere cont.

(6) De Aere, Loc., & Aq. Teſt. 13.

(7) Aphor. XV. Sect. III.

(8) Lib. Cit. Cap. III.

(9) M. Vitruvius Lib. V. Ar-

re, vel ædificare audeat, quia calidis potiſſimum tempeſtatibus malignæ ex iiſdem exhalationes cum maxima tum hominum, tum quadrupedum pernicie evaporantur. Noxia effluvia, quæ ex corruptis paluſtribus aquis, putridiſque exhalant corporibus, quas aquas *deterrimas* vocavit *Columella* (1), ſicco, volatilique ſale abundant, faciliuſque expelluntur (2), & expulſa æſtiva tempeſtate ſolis calore attolluntur, atque per aerem diſſipantur; ac ſummopere mortifera evadunt per æſtatem præſertim, & autumnum uſque ad æquinoxium, quo tempore inſecta ova, ac fecces deponendo, ſumma fæcunditate gaudendo mirifice multiplicantur (3), ideoque longæ epidemicæ conſtitutiones graſſari ſolent (4). Quamplurimi volunt Phyſici aeris infectionem conſiſtere in ælaſticitatis, & ſpecificæ gravitatis aeris privatione ex putridis veneficiſque exhalationibus cauſata. Sed experimenta tentata ab *Hauksbee* clare demonſtrant, quod qualiſcumque ſit infectio, inalterabiles rema-

B neant

Archit. C. III. Varro de Re Ruſt. L.I. C.XII. Palladius de Re Ruſt. L. I. C. VII. Columella de Re Ruſt. L. I. C. V. Pringle ſu le malattie d'armata, e guarnigione.

(1) Loc. cit.

(2) Lanciſius ibid. Cap.IV.

(3) Idem L.C. C. XVI. §.II.

(4) Nenci intorno le Acq. ſtagnanti. Targioni Tozzetti dell' inſalub. dell' aria di Val di Nievole Tom.I. P.III.

neant ſupradictæ aeris proprietates. Prævio examine, atque annalyſi *Joſeph Prieſtleyus* acidum naturalem eſſe in aere demonſtravit, qui ſalubritatem conſtituit, alium vero omnino huic diſſimilem, atque contrarium, qui cum aeri inhæreat, eum reddit veneficum, & ad vitam alendam omnino ineptum.

§. IV. Exhalationes, quæ ex paluſtribus locis per aerem elevantur non modo aqueos continent vapores; ſed nimiam etiam putridorum effluviorum partem a maximo mineralium, vegetabilium, atque inſectorum numero productam, quæ in his locis pereunt, atque putreſcunt: ex quo fit, ut febres neceſſario epidemicæ, ſemperque lethales producantur, uti pariter caſtrorum illa perpetua, ac exitialis epidemica diſſenteria (1). Putarunt nonnulli (2), inſecta valde exilia in congeſſitiis, paludoſiſque locis generari, quæ oculis videri nequeunt, atque per aerem volitantes per os, & per nares intus inſpirationis ope perveniunt in animata corpora. Exhalationes, & harum ſpiritus ab iiſdem paluſtribus inſectis potiſſimum emiſſos in flatibus po-

(1) Pringle ibid. Cap. III.

(2) Varro, Columella, Palladius loc. cit. P. Ath. Kircherius Scrut. Peſt. Sect. I. C. III. & VII. Coſt. Langius in Patol. Animat. animad. ad §. III. de Peſte. Lanciſius loc. citat. C. XVI. & Lib. II. Epid.

poſuit *Vitruvius* (1). *Sylvius De la Boë* (2) verminoſum repudiavit miaſma, cui aſſentitur *Ramazzinus* (3), & *Fridericus Hophmannus* (4). Minus periculoſa effluvia experiuntur illi, qui montanis, aut borealibus inhabitant locis; contra vero magis perniciosa experiuntur ii, qui in planitie morantur, ventoque auſtrali ſunt obnoxii. Juxta diverſas ſpirantium ventorum qualitates ſub paludoſo cælo plus, minuſve graſſantur morbi; ſed ab auſtro majores producuntur (5). Qui vero ſummis inſident collibus, ſi ad meridiem paluſtria habeant loca per ventos auſtrales, aut afros aer morboſus fit, quod comprobat marmorea inſcriptio (6) ſanctæ & imm. mem: Pauli V. Burgheſii in Pontificiarum ædium Gandulphi fronte inſculpta, qni Turni lacum exſiccavit, ut illius habitatores ab aeris vindicarentur infe-

B 2 ctione.

(1) Lib. I. Archit. Cap. IV.
(2) Apend. Tract. X. a num. 147. ad 161.
(3) De Epid. Mutinenſi A. 1690. §. 26.
(4) Diſſert. Phyſ. V. de Temp. Ann. Salub. §. 8. 9.
(5) C. Celſus L. I. C. X. Verulamius Hiſ. Vent. qual. n. 25.
(6) PAVLVS V. PONT. MAX.
OPPIDVM AQVARVM PENVRIA
ET NOXIA E TVRNI LACV ASPIRATIONE
INFREQVENSIVS
AQVA TERSIO AB HINC MILIARIO
DERIVATA ET LACV EXSICCATO
SALVBRIVS LÆTIVSQVE REDDIDIT
ANNO DOM. MDCXI. PONT. SVI VII.

ctione. In Romana legitur hiſtoria, ſtagna in juncetis, atque lacunis, lutoſis, cænoſiſque locis, tam intus, quam extra Romuli ſulcum, & potiſſimum extenſam paludem, quæ inter Aventinum, Palatinum, & Tarpejum collem exiſtebat, eratque locus iſte ob ſtativas aquas a reliqua Urbe diſcluſus, pernicioſiſſima primis Accolis, ſuiſque poſteris fuiſſe in æſtate ob malignas eorumdem evaporationes. Hæc palus tam late patens, ac peſtifera, ad cujus tranſitum, ut refert *Tibullus* (1), neceſſe erat linter, *Ovidii* dictu (2), a Tarquinii Priſci ſolertia fuit exſiccata, pariterque idem Romanorum Rex cloacarum emiſſaria adaperuit in Tybere. Habemus in hiſtoriis quam plurimas paludoſas terras diverſis fuiſſe temporibus a Romanis diſſiccatas. Scaurus enim Conſul quamdam prope Padum ſiccam reddidit paludem, per quam dum tranſiret Hannibal, quum Hetruriam petiiſſet, difficillimo itinere uſus eſt (3), foſſis navigabilibus eas ſiccaſſe a Placentia ad Parmam uſque ductis (4). Marcus Curius Dentatus Reatinæ paludis A. U. C. 484. exſiccationi incubuit (5). Primis illis Romanæ Reipublicæ temporibus nempe ab

(1) L. II. Eleg. III. diſ. 17.
(2) Faſtor. L. IV.
(3) Livins Lib. XXII.
(4) Strabo Geog. Lib. V.
(5) Cicero ad Attic. Ep. 14. Lib. IV. vide Phil. Campanelli diſſ. de Allu. & Palud. & Paſq. &c.

ab A. U. C. 290. ad 490., ante quam paluſtribus aquis daretur curſus, ut ex *Livio* collegit *Cagnatus* (1) vicies, & bis gravibus epidemicis conſtitutionibus Urbs obnoxia fuit. Temporis decurſu dum a diro immanique Gothorum furore Alarici, Vitigii, Totilæque ætate (2), & a Longobardis ſub Aſtulpho, dein Ludovico II. Galliarum Rege, & tandem a Saracenis Roma oppreſſa, ac devaſtata, aquæ e terra ſurgentes, atque pluviales paulatim in paludem mutari cæperunt, & ob perplurimorum aqueductuum devaſtationem, quas Romana munificentia conſtruxerat, Romuleus ager in paludem eſt converſus. Cum autem nullus exitus hiſce aquis ob Civium inteſtinas factiones daretur, eorum lethali aſpiratione (3) immane, ac incredibile Urbi exitium attulerunt. *Julius Frontinus* (4) curator aquarum a Nerva Imperatore creatus novem aquarum venas per aquæductus Romam delatas fuiſſe connummeravit, inter quas vivente *Poggio Bartolino*, ac ſedente Martino V. ſola aqua virgo in Urbem ingrediebatur.

§. V. Quam pernicioſæ aquæ ſtativæ ſint, ex dictis (§. III. IV.) jam patet, & ex ſequen-

 tibus

(1) De Salub. Rom. aeris.
(2) Muratori Annal. d'Italia Tom. III.
(3) Lanciſius loc. cit.
(4) Ut ipſe refert in Lib. de Aqueduct. Art. 102. & Muratori Theſaur. Inſcr. Tom. 7. pag. 447.

tibus ſummopere comprobabitur. Quinque epidemicas conſtitutiones ab his aquis productas expoſuit *Lanciſius* (1), inter quas Romanam anno 1695. calamitoſiſſimam a continuis pluviis, Tyberis alluvionibus, ſtagnantibuſque aquis in molæ Adrianæ foſſis cauſatam. Non abſimilem in Cælio colle a ſtagnis productam præſcripſit *Panarolus* (2), aliaſque in diverſis Urbis regionibus *Petronius* (3), *Cagnatus* (4), *Donius* (5) tradiderunt. *Pringle* (6) in Holandia, Mutinæ *Ramazzinus* (7) obſervarunt. Multis endemicis infirmitatibus ſubjecta eſt Zelandia (8), quia ex orientali ore a paludoſis, & limoſis Scaldii ripis cingitur. Inter alios morbos regnant in æſtate (9) febres intermittentes malæ indolis, putridæ continuæ in ardentes degenerantes, quæ febres quamquam typum varient, nihilo tamen minus ejuſdem naturæ ſunt, atque ex iiſdem derivantur cauſis, & revera tam continua, quam ardens febris, ut plurimum in regularem periodum febrem determinant. Similes febres Romæ a Tyberis allu-

(1) Loc. cit. Lib.II.

(2) Diſſert. de Aere Cælimontana.

(3) De Victu Rom. Lib.I. Cap.III. & XIV.

(4) De Tyb. Inund. Med. diſput. ad Clem.VIII.

(5) Loc. cit.

(6) Loc. cit. Par.I.

(7) In Mutinenſi Conſtit. ann. 1690.

(8) Pringle loc. cit.

(9) Idem loc. cit.

alluvione (§. XV.), & in illa Ungariæ parte, quæ ab Iſtro, & Dravo alluitur, ſemper epidemicæ exoriuntur (1). Codunia Civitas in Dania humili paludoſoque loco ſita eſt, ideoque anno 1652. poſt extra modum calidam, ſiccamque æſtivam tempeſtatem febribus male indolis cives correpti fuere (2). Idem anno 1669. Lugduni Batavorum accidit: ita quoque Sardinea multis morbis ſubjecta, & præſertim febris intemperiei (3). Obſervavit *Proſper Alpinus* (4) Alexandriæ Ægypti urbis ad Nilum autumnali tempore febribus epidemicis peſtilentialibus a putridis corrupti Nili ſtagnantium aquarum effluviis productis, incolas ſubjectos eſſe, quod flumen poſt agrorum alluvionem, dum recedit, putridarum paludum, ſordiumque plurimorum inſectorum, & fœtentium cadaverum repletas relinquens ripas, & arva, unde veneficis aſpirationibus finitimorum locorum aerem inquinant, qua de cauſa in Africa peſtilentiæ tam frequentes evadunt; uti dum multa putredini ſubjecta corpora per maris fluxum projiciuntur ad littora, quæ ſabulo, dum mare recedit, infixa remanent, facile in æſtate putreſcere ſolent;

 ſicque

(1) Sckenchius de morb. Ungar.

(2) Bartolinus Hiſt. Anat. Rat. Cent. II. Hiſt. 56.

(3) Aquenza de Feb. Intemp. Reg. Sardin.

(4) de Med. Ægypt. Lib. I. Cap. XV.

ſicque mortuæ balenæ in littore, aut alio in loco exiſtentis putridâ acrimoniâ molles ſolvantur partes, tunc putridiſſima effluvia, quæ a corrupto exalantur corpore, atmoſphæram fœdant. Idem accidit in calidiſſima Æthiopia ob corrupta locuſtarum ſpolia: quapropter innumeræ epidemicæ infirmitates habent originem. *Alpinus* idem (1) obſervavit in Cairi canalibus ſtagna omni anno variolas confluentes, malignas febres, putridas, meſſentericas, menſibus Aprili, & Majo produxiſſe, qui menſes ob meridionalium ventorum continuos influxus illis in regionibus calidiores evadunt.

§. VI. Romam, narrat *Cælius Aurelianus* juxta *Aſclepiadem*, hujuſmodi febribus eſſe ſubjectam (§.V.), morbumque familiarem Civitatis hujus eſſe Hemitriteum, quem ſæpe graſſari vidit etiam *Galenus* (2) *C. Celſus* (3) *Baglivius* (4) uti, & *Nos* in æſtatis fine, & autumno anni 1780. (5), quam febrem *horrificam* vocavit *Hippocrates* (6). Variæ exiſtunt opiniones de ejus qualitate, tum apud pri-

(1) Loc. cit. Cap.XIV.
(2) De Temper. Lib. II. & Loc. Com. 25. de Morb. Temp. cir. fin.
(3) Lib.I. Cap.X. & L.III. Cap.VII.
(4) Prax. Med. Lib.I.C.IX. de Feb in Gen.
(5) Seq. noſt. diſſert. de Morbis &c. §.XXIX.
(6) Epid. Lib.I. Ret.I.

priſcos, tum apud noſtræ ætatis Medicos. Febris hæc vere ex putridarum, & meſſentericarum genere eſt, difficilis cognitu, & curatu difficilior (1). Extra Italiam hemitriteus rarus eſt (2), ſed in æſtuoſis Italiæ, atque Æthiopiæ regionibus familiaris (3). In Urbe frequens, & ſemper primarum viarum apparatus, & putris nimirum congeſta cachochilia eandem febrim, aut parit, aut comitatur (4); ideoque ſemper graviſſima, atque mortifera (5). Hæc autem quamvis ſæpenumero ſæviat in Urbe non vernacula, ac peculiaris dici debet, ut voluit *Petronius* (6); & *Lanciſius* (7) aſſeruit, *Cagnatum*, qui diu medicinam Romæ fecit, febres ab *Aſclepiade* deſcriptas ſæpe obſervaſſe, nec omni voluiſſe tempore, nec ſingulis annis apparere, ut morbi vernaculi ſolent, & vulgares quidem, ſed revera non vernaculas fuiſſe, judicaſſe; voluitque citatus *Lanciſius* (8) non eſſe epidemicas, ſed ſporradicas a cauſis adventitiis, & a corruptis ſtagnorum, atque cænoſorum locorum effluviis cauſatas: auſtris vehementibus

(1) Bagliv. loc. cit. & de Feb. Mal. & Meſenr. ex Dureti Obſ. Co. 122.

(2) Ballonius in Epid.

(3) Fontani in Schol. ad Dodonæ. De Semiter.

(4) Bagliv. loc. cit.

(5) Hipp. I. Epid. Com. III.

(6) Loc. cit. Lib. IV. Cap. I.

(7) De Nat. deq; advent. Rom. cœl. qual. Par. I. Cap. XVII. §. II.

(8) Loc. cit.

tibus diu flantibus ſporradicos morbos graſſari vidit Idem (1). Nam teſte experientia, nec omni fere tempore, nec ſingulis annis, ut morbi vernaculi, apparent. Non crebrius Romæ, quam alibi morbi epidemici ſæviunt, non tam aeris vitio cauſati, quam diverſis de cauſis, ut comprobavit *Cagnatus* (2). Idem dicendum de morbis aliis, qui licet frequenter Romæ graſſentur, non idcirco vernaculi, & peculiares dici debent: ideoque Romanum cœlum peſtilens habendum non erit (3), & præſertim in æſtate. Verum *Joannes Hieronymus Lapi* (4) contra vulgarem opinionem abunde demonſtravit aerem Romanum nullo modo eſſe impedimento, quin viatores ad Urbem accedant æſtivo tempore, eo quod inconſulto malignam hujus aeris qualitatem putaverint. Juxta varietatem temporum, variabilemque aeris mutationem loca etiam ſaluberrima certis quibuſdam morbis eſſe obnoxia voluerunt *Donius*, *&* *Lanciſius*. Aſſeruit *Boerhaavius* (5) cœlum, anni tempeſtatem, ſolum, lacus, paludes, flumina, vapores, exhalationes, metheoras, aerem ita permutare, ut varios producat morbos, non tam pen-

(1) De Nox. palud.effl.P.I. Cap.IV. §.IX.
(2) Loc. cit.
(3) Ibidem.
(4) Contro la volg. opin. di non potere &c.
(5) Inſt. Med. §. 752.

pendentes ex ipſa aeris indole, ejuſve dotibus, qualitatibuſque, quam ex natura, & efficacia admixti. Peculiaribus ſubjiciuntur morbis cunctæ Civitates, atque regiones (1), a climatis aeris, ſitus varietate, cauſiſque adventitiis productis. Furius Camillus dum Populum ad Gallos pellendos e Capitolio obſidione cincto hortabatur, ut narrat *Livius*, Romam vocavit ambitum ſalubrium collium, & *Strabo* illuſtris Tiberii ætate geographus omne latium eſſe ferax aſſeruit exceptis paluſtribus locis.

§. VII. Paluſtre cœlum ſolidorum, fluidorumque motum retardat, corporis meatus obſtruit, perſpirationem impedit (2), cruoris temperaturam corrumpit, unde ſanguis, aliorumque humorum indoles in colore pallido, flaveſcente ſtatim manifeſtatur. Paludum, lacuumque habitatores *ex Hippocrate* (3) facile hepatici, & ſplenetici evadunt; voluitque idem hujuſmodi homines ſanguinis craſſitiei, hydropi, pulmonum morbis, tumoribus, intermittentibus febribus ſubjectos eſſe, unde breviſſimam ducunt vitam; lingua in his, & fauces aridæ apparent, puſtularum dein nigredo per epidermidem vagantium, torpor ad motus, mœſtitia, nauſea, vomitus, diarrhæa, rigores, abdominabiles tenſiones, anxietas, atque

(1) Donius loc. cit.

(2) Sanctorius Alph. 469.

(3) De Aere Loc. & Aq. Cap. 55.

atque delirium. Paſſim *ex Magni Hippocratis* operibus colligitur, unde morboſa miaſmata, putridaque effluvia in corpus ſubeant humanum; per cutis nempe ſpiracula (1), per nares, aures intra cranium in cerebrum (2), per os in pulmones (3), per œſophagum in ventriculum, & inteſtina cum cibo, potuque (4).

§. VIII. Inter cronicos affectus, per quos paludum accolæ frequenter affliguntur, ſcorbutus recenſetur, cujus ſymptomata recte correſpondent ſcorbuto marino, de cujus natura, & experimentis vide *Pringle* (5), *Boerhaavium* (6), *Van-Swieten* (7), *Addington* (8), *Eugalenum* (9), qui diu in Embden Civitate Phrygiæ orientalis ad maris littora in loco humili, & paludoſo ſita Medicinam profeſſus eſt. Caidnæi orientales, Scitiæ populi gingivarum laborant morbis ob vehementes calores, vaporeſque paluſtres; ideoque ſalem in ore aſſidue geſtant (10); nec non ſcorbuto ſubji-

(1) IV. Epid. Sect.III.
(2) De morb. ſacr. n.17.
(3) De Flat. num.6.
(4) Loc. cit. num.9.
(5) Loc. cit. Par. III. & in Append. Mem. VII. Eſper. 48.
(6) Aph. de Cog. & Cur. Morb. §.1150.
(7) Differ. delle mal. d'armata dello ſcorbuto.
(8) Saggio ſu lo ſcorbuto del mare. Eſſai ſur les maladies, qui attaquent le plus communemant les gens de mer.
(9) Lib. de Morb. Scorb.
(10) Donius loc. cit.

ſubjiciuntur Brittanni, Batavi, Svevi, Danai, Novergii, Germani ſeptentrionales (1). Tam maris ſcorbutus, quam paluſtrium locorum a putrilaginoſa acrimonia proveniunt. Per ſcorbutum talis redditur ſanguis una cum aliis humoribus, ut ineptus ob ſuam ſpiſſitudinem ſit ad libere excurrendum per vaſa, & ob comitem acrimoniam erôdat loca, quibus inhæret, unde liveſcentes maculæ, & oris fœtens alitus, atque ſanguinis, fibrarumque reſolutio, ſymptomata, quæ huic morbo communia ſolent eſſe, quæque numquam ab eodem ſeparantur (2).

§. IX. Sicuti cuncti humores putrefactionis ope exiliores, meabilioreſque evadunt; ita eadem cauſa animalium ſolidæ partes laxantur, mollioreſque fiunt. Talis partium ſolidorum, fluidorumque ſtatus, occaſio eſſe videtur in infirmitatibus a fibris debilibus, & laxis provenientibus, cui in omnibus malignis febribus evenit, & in realibus marinis ſcorbuticis affectionibus, lociſque paludoſis, quæ certe a putrida cauſa habent originem; maleolentes cœnoſorum, ac paluſtrium locorum exhalationes, fluminum inundationes, annonæ caritas, olerum inopia, aliorumque vegetabilium ægeſtas, potus aquæ fœtentis ſtagnantis, & corruptæ, carnium, piſciumque ſalſorum uſus,

(1) Boerhaav. ibid. §. 1148. (2) Pringle ibidem.

uſus, caſtrorum humilitas, & parum vento commotorum cauſa ſunt ſcorbuti (1).

§. X. Humorum corruptionem, ſeu putrefactionem commendavit *Hippocrates*, eoque magis celebravit *Galenus*, & adhuc eo vehementius propoſita hæc fuit, ac defenſa a *Platero*, *Sennerto*, *Eugaleno*, *Sanctorio*, aliiſque celeberrimis coetaneis viris. Æſtivi, & autumnales morbi, quo tempore laxiores ſunt fibræ, ob adauctam perſpirationem, fluidi magis rarefacti, & ad corruptionem, putrefactionemque proclives, ſi perſpiratio impediatur, aut aliqua excretio a natura ſtatuta verſus corporis periferiam intercipiatur expulſio, nec non putridarum ſanguinis mollecularum, tunc originem habet febris epidemica, quæ juxta diverſam humorum ſedem, eorum acrimoniam, aut aliam eorumdem diſpoſitionem cum typo remittentium, aut intermittentium manifeſtabitur (2). Si parcior erit perſpiratio, tunc orta putredine obſervabitur febris (3). In cœnoſo aere perſpirationem prohiberi, fibras laxari, putrefactionem oriri, & in autumno corporis pondus augeri exiſtimavit *Sanctorius* (4), quod ſi ſalubrem excedat latitudinem fieri tertianas, ſeu alias putri-

(1) Idem loc. cit.

(2) Ibidem.

(3) Boerhaav. Inſtit. Med. §. 778. Sanctor. Med. Stat. Sect. II. Aph. 33.

(4) Sect. I. Aph. 8. Ibid.

putridas voluit idem. *Hippocrates* hujus indolis infirmitates ex bilis redundantia cenſuit eſſe repetendas: alii vero ex corruptione ejuſdem; unde iſtæ febres ſub bilioſarum nomine veniunt, quæ hodiernis noſtris putridis correſpondent; ita vocantur, quia corrupta bilis maxima ex parte hujuſce infirmitatis eſt cauſa: quæ febres a *Tiſſot* bilioſæ appellantur, a *Baglivio*, & *Burchard* meſſentericæ, a *Lanciſio*, & *Pringle* caſtrenſes; a gaſtricorum, bilioſorumque humorum putrida corruptela pendent, quæ ſummopere vires debilitant, quorum deſtructio eſt realis ſymptomatum cauſa. Subſtantiæ omnes, citius, vel ſerius corrumpuntur juxta diverſam aeris impreſſionem, atque cohærentiam; bilis autem corruptio eſt ſollicita, ſed non tam gravis, ac fœtens, ut illa ſanguinis, aut fibroſarum corporis partium (1). Refert modo citatus *Pringle* (2) excrementorum diſſenticorum putrida effluvia, non ſolum pollere vi ſeſe communicandi, ſed noſocomicam malignam febrem (3) pariter producendi.

§. XI. Febres generice loquendo, quæ a paluſtribus locis oriuntur, variæ ſunt, interdum intermittentes in continuas vergentes, variis

(1) Pringle ibid. in Apend. Mem.VII. Eſper.42.

(2) Loc.cit. Par.I, Cap.III.

(3) Vid.Opuſc.Anom.Auct. de Feb. Noſoc. Mediolani Typ. imp. an.1779.

variis ſtipatæ pernicioſis ſymptomatibus, quæ febres ab *Hippocrate*, *&* *Galeno* (1) morbi vulgares, & epidemici regionis, regionales, & endemici vocantur. In intermittentibus color ſubflavus, capitis gravedo, nauſea, vomitus bilioſorum humorum apparet, ſed adnotantibus *Lanciſio* (2), & *Pringle* (3) una cum minutiſſimis vermibus, calor, ingenſque ſitis in primis febrium periodis ſæpenumero accedit: effuſo ſudore intermittunt, urinæ croceæ, ſubjugales, quinta die orto rigore cum permoleſta præcordiorum anxietate, atque virium jactura in continuas vergebant, lingua ſublivida, arida, hipocondriorum tenſio, ſopor, delirium ſuperveniebat. Interdum in malignas deſinunt, quas variis nominibus appellavit *Baglivius* (4). Liveſcentes maculas in cute, cardialgiam, pulſus varios, parvos, inæquales, tendinoſos ſubſultus, extremorum perfrigerationem, faciem hippocraticam, frequentes lipotimias, dyſſenterias, ex alvo lumbricos, algidum ſudorem, parotides hujuſmodi febribus accedere ſolent, quæ febres illis lentis, & nervoſis correſpondent ab *Huxham* obſervatis (5).

§. XII. Fe-

(1) Lib.I. Epid. in III. de Morb. Acut.
(2) De Nox. Palud. effluv. Cap.IV. de Syl. Ciſter.
(3) L.C. Par.I. Cap.IV.§.I.
(4) Loc. cit. de Feb. Mal. & Meſent.
(5) Lib. de Feb. C.VII.

§. XII. Febres naturæ putridæ iſtis in locis ortæ ut plurimum incipiunt continuarum typo, ſed poſt quam aliquibus diebus intermiſerint in continuas putridæ, ac malignæ indolis iterum convertuntur: accedente deinde hyemali tempeſtate in regulares plerumque periodicas febres commutantur. Frequentes recidivæ viſcerum obſtructiones pariunt, in icterum, hydropem, tympanitidem degenerantes, & hoc in caſu corticis peruviani uſus damnoſus eſt (1). Continui dimanant e corpore ſudores, & hoc pendere videtur a diſſoluti cruoris ſtatu, & a nimia fibrarum laxitate. Quando abundans eſt ſudor, atque criticus putridæ humorum particulæ, aut omnino, aut aliqua ex parte expelluntur e corpore; hinc febres, aut plane debellantur, aut in intermittentes deſinunt.

§. XIII. Symptomata vero, quæ in continuis manifeſtantur febribus, ut plurimum ſunt parva oripilatio, magnus, graviſque capitis dolor, animi, viriumque ſumma proſtratio, inapetentia, oris amarities, lingua alba, arida, flava interdum, interdum liveſcens, dentes luridi, halitus graveolens, vomendi conatus, interdum vomitus, æſtus ingens, anxietas circa præcordia, pulſus varii, peticulæ rubræ,

 live-

(1) *Pringle loc. cit. Par. III. Cap. IV. §. II.*

livefcentes dein, ſopor, vaniloquium, convulſiones, facies atro rubore ſuffuſa, urinæ modo tenues, crudæ, ſubjugales modo, nigra, ac fœtens diarrhæa, ad veſperas exacerbationes, in glandulis ſæpenumero apparent depoſitiones, uti ad aures in parotides, ſub axillis, in inguinibus, quæ facile in gangrænam evadunt. Tam leviter, lenique apparatu crebro incipiunt tales febres, ut vix infirmus ſe ægrotare primis diebus credat, unde ſemper ſubdolæ ſunt. Certa prognoſis aſſignari non poteſt; primis enim diebus pereunt nonnulli, alii liberi evadunt poſt multos dies, alii frequenter moriuntur in ſeptimo, ac interdum in decimoquarto. Hæmorrhagiæ apparentes fere ſemper lethales ſunt. Pulſus parum fortis, urinæ bene concoctæ cum ſeparatione, aliqua tum animi, tum corporis promptitudo, caput non multum dolens, ac liberum, ſine moleſtia, tepens ſudor, æqualiſque calor, ſigna ſunt ſalutaria.

§. XIV. Ut hujuſmodi febribus (§§.XI.XII. XIII.) habitatores liberentur, ac eorumdem ſervetur valetudo, utque aer purus a malignis ſtagnorum evaporationibus haud inficeretur, Majores noſtri tot ſylvas conſeruerunt, ſanctequeſervarunt, quot erant paluſtria loca; ideoque falſis Diis ſacra faciebant, templa ædificabant, ſacerdotes inſtituebant, eorum denique cura

Conſu-

Conſulibus commendabatur (1) : erat autem deteſtandum, ac prorſus ſacrilegum facinus apud eoſdem ſacras ſylvas cædere. Sylvæ melius, quam colles a noxiis paludum effluviis, perniciofiſque ventis finitima loca, & adverſus præſertim maleficos auſtrorum impetus, ventorumque maritimorum oppida, Urbeſque tuentur. *Hippocrates* Græcos a peſte præſervavit vias artificioſe obturando, per quas ab Illiria peſtilentiales venti adferebantur ad Græciam (2). *Empedoclem*, legitur in *Plutarco* (3), obturato montis hiatu, ubi gravis, atque inſalubris in planitiem ſpirabat auſter, peſtem illa regione excluſiſſe. Ea de re ubi inſidunt pontinæ paludes inter Pœmetiam, & Tyrreni littoralem ad meridianam plagam, lucus, & templum, in quo Dea Feronia colebatur, extabat (4). Hic lutus maximo erat uſui illi Urbi ad halitus vertendos maris (5). Quantam enim aeris inſalubritatem attulerit, omnes noſcunt, exciſio vaſtiſſimi nemoris facta ſedente Gregorio XIII. ad maris littora, quod meridiem ſpectat, adeo conſtat, ut id ab antiquis ad ventorum noxios impetus arcendos poneretur;

(1) Sveton. in Vita Cæſar. Cap. XIX. Virg. Egl. IV. verſ. 3.

(2) Boerhav. prælect. Accad. §. 753.

(3) Card. Corradinus vet. Lat. prof. L. III. Cap. IV. Virg. Æn. L. VII. v. 800.

(4) Lancifius loc. cit.

(5) De Curioſ. in init. T. II.

tur; aliud ſub Clemente XIII. ad littoralem Neptuni oram. Inter cætera, quæ maxime curæ ſuerunt Romanis, fuit illa, ut apud Ægyptios mortuorum cadavera comburere, quæ combuſtio intra Urbis mœnia fieri prohibebatur, ut eruitur ex legibus XII. tabularum: *Hominem mortuum in Urbe, neve ſepellito, neve urito* (1), & ſtatutum fuit, ut interemptorum ſepulchra in quibuſdam ab Urbe diſſitis locis extruerentur, inter quæ Appia via valde celebris evaſit; ut putrida cadaverum effluvia civium valetudini non fierent pernicioſa. *Salier* Mathematicæ Profeſſor in Samarobriga civitate de origine, & cauſis multorum epidemicorum recurrentium morborum memoriam edidit (2), qui ſæpe ſæpius floridas, populataſque Urbes invadunt. Ea in ſententia idem fuit, ut tribuerit, origines, & iſtorum morborum rudimenta exhalationibus, quæ e Cemeteriis intra Urbium mœnia poſitis evaporantur, atque per aerem diſſipantur, e templis, ubi mortuorum humantur ſpolia, latrinis, lociſque aliis cœnoſis, Noſocomiis, carceribus &c., in quibus aer ſtagnando corrumpitur, unde infirmitates fere innumerabiles recurrere videntur, ut modo laudatus auctor plurimis

(1) Tab. X. de Jure Sacro vid. Pand. Juſtin. Tom. II. & Garavina Origin. Juris Tom. I. Lib. II. Tab. cit.

(2) Giornale Enciclop. vid. Antol. Rom. T. VII. n. III.

rimis confirmavit obſervationibus, methodumque ad præcavendas hujuſmodi aeris infectiones expoſuit.

§. XV. Febres autem illæ, quæ a Tyberis alluvione derivantur, putridæ, malignæque ſunt, & fere ſemper epidemicæ (§. V.), valde graves, & perniciofæ (1). Ex Tyberis inundatione adventitiam aeris inſalubritatem revera naſci, eamque peculiari diligentia vitari poſſe oſtendit *Lanciſius* (2), voluitque idem non ab aeris vitio timendos eſſe morbos, ſed ab exundatione per ſe naſci poſſe. Non deſunt hiſtoriæ, quæ inummerabiles peſtilentias poſt maximas Tyberis alluviones exortas tradunt. Tyberis inundationes juxta *Plinium* a Priſcis Romanis ſemper maliominis habitæ fuerunt. Inter altas memorabiliores inundationes fuit illa Conſulibus Cn. Cornelio Lentulo, & P. Ælio Peto, adeo ut apollinares ludi circo inundato extra portam Colliniam ad Erycinæ Veneris ædes parati ſint (3); nec non illa L. Quintio, & Q. Minutio Conſulibus, ut duo Urbis pontes, ædificiaque multa potiſſimum circa portam Flumentanam funditus everſa ſint cum maximo civium detrimento (4).

 Nec

(1) Bagliv. loc. cit., & Bonini del Tevere Incantato Lib. V. Cap. VIII.

(2) De Nativ. deque Advent. &c. Par. II. Cap. X.

(3) Livius Decad. III. L. V.

(4) Idem Decad. IV Lib. V.

Nec prætereunda eſt illa, quæ Deorum ira ob infamem Gabinii abſolutionem a Populo tributa fuit, poſtqnam idem temere religionem violaverat, ſibilinoſque libros ſpreverat A. U. C. 699. Conſulibus L. Domitio Ahenobarbo, & A. Claudio Pulchro, quæ inundatio, inter multa alia damna multas Urbis ædes ſunditus evertit, & Craſſipedis Ciceronis generi viridaria devaſtavit, maximamque Populo attulit deſolationem (1). Decies, & bis Campus Martius, & Romæ planities alluvionibus fuere ſubjecta ob copioſas, diruptaſque pluvias Conſulibus Meſſala Fulvio, & Enio Mallio (2); & Q. Fabbi M. IV., & M. Marcelli III. Conſulatu ob copioſas aquas, ingenteſque nives Tyber Romam ſummopere inundavit magno cum hominum, pecudum, ædificiorumque detrimento (3). Auguſti ætate (4) veſtæ Templum, Numæque Pompilii ædes devaſtavit. Aliæ multæ Tyberii, Ottonis, Nervæ, Antonini tempore inundationes fuerunt, & ante iſtum imperante Trajano una cum aliis multis infortuniis Urbs afflicta fuit, quibus magna providentia, charitate, atque ſollicitudine ad ſuorum civium incolumitatem ſervandam conſuluit,

(1) Conyers Meiddleton Stor. della Vita di Cicerone Tom. II. pag. 463.

(2) Livius Dec. IV. L. VIII.

(3) Idem Dec. III. L. IV.

(4) Oratius Car. L. I. Od. II.

luit, uti verus Patriæ Parens (1). Narrat *Joannes Diaconus* (2) Tyberim ex alveo ſuo egreſſum tantum excreviſſe, ut ſupra Urbis mænia influeret, ac ideo peſtilentia ſubſecuta fuit, quæ Pelagium Papam I. e vita eripuit, atque in reliquum deſæviit populum, ut ſubtractis habitatoribus Roma pene ſolitaria remanſerit. Non abſimilis fuit illa Mauritii Auguſti tempore anno 586. Aliæ multæ in poſteriorum annorum hiſtoriis leguntur, inter quas memorabiles ſunt illæ ſub Alexandro VI. & major ſedente Clemente VII., quæ primam medietatis unius haſtæ altitudinem ſuperavit, ut ex impoſitis ſignis in turri molis Adriani videtur. Notatu dignæ exiſtunt adhuc ſub Paulo IV. & Clementi VIII. cujus alluvionis ſigna variis in locis Urbis noſtris temporibus obſervantur (3).

§. XVI. Quamvis autem veteres Romani ad Tyberis curam ſemper intenderent (4), inter quos Tarquinius Priſcus (5); Tiberii tamen ætate (6) Populus ob innummerabilia damna a maxima Tyberis inundatione allata timore perculſus Sibillinos libros in capitolio ſer-

C 4

(1) Plinius in Epiſt.

(2) In Vita S. Greg. Mag.

(3) Bonini loc. cit. Lib. I. Cap. VIII. XIII. Kal. Martii 1783. Tyberis ſummopere turgeſcens, ex alveo ſuo egreſſus, varia Urbis loca inundavit.

(4) Idem L. C. L. II. L. III.

(5) Idem Lib. III. C. VI.

(6) Tacitus in Tiberio.

ſervatos Quirites conſulere coegit, exquo factum eſt, ut Imperator, *Dionis* dictu, ſtatuerit, ut quinque ex PP. CC. conſeſſu nomina ſorti ducerentur, qui ad majorem Tyberis curam omnino invigilarent, non ad tollendas Tyberis exundationes, ſed ſaltem, ut ſcripſit *Tacitus* (1) ad eas moderandas, vel ad eas coercendas, ut *Svetonius* (2). Maximam adhuc curam Tyberis ultimis habuerunt temporibus Summi Pontifices Leo X. & Pius V.

§. XVII. Quatuor ſunt potiſſimum cauſæ, per quas fit alluvio (3), prima neceſſaria eſt, videlicet a copioſis continuiſque pluviis, tres aliæ ſunt concurrentes, mare nempe, ventus contrarius, & fluminis ſitus, ommiſſis aliis accidentalibus cauſis, quibus adde nivium ſolutionem.

§. XVIII. Longa alluvionis mora quamdam cauſat depoſitionem argilloſæ, ſeu ſabuloſæ ſubſtantiæ (4), craſſæ, tenacis, & leni terreo-muccoſæ (5) in ſubterraneis præſertim ædificiorum una cum multorum inſectorum copia, piſciumque cadaveribus, & ovulis, quorum corruptione contaminato aere populares quam plurimi contagioſi morbi Romæ origi-

(1) L.C. (2) In vit.Aug.
(3) Bacci Lib. III. del Tevere, & de Termis, cujus Tit. Inund. Tyb.
(4) Petronius de Aq.Tyber, ad Julium III. L.I. C.III.
(5) Lanciſius de Nativis &c. Par.II. Cap.IX.

riginem habent (§. XV.), & præſertim in humilium regionum locis, quas febres caſtrenſes appellavit *Lanciſius* (1). Inter futuræ peſtis indicia fluminis hujus alluviones referendas eſſe voluit *Cagnatus* (2), & ab humiditate potiſſimum ædium infernarum, quæ brevi, & tam faciliter exſiccari non valeat: unde ex eodem acutæ diuturnæ febres, duplices tertianæ cum exanthematibus, phrænitides, lethargici affectus, comitiales morbi, anginæ, apoplexiæ, variolæ &c. exoriuntur. Mala hæc in æſtate magis ſunt, quam in vere expectanda ob ingentes æſtivos calores, qui ſunt in cauſa, cur humores putrefiant.

§. XIX. Quantam enim utilitatem cujuſcumque generis ſtagni ad præcavendos morbos exſiccatio afferre queat, fuſius jam probavimus; multiſque ex hiſtoriis confirmatur. Refert *Penus Salius* (3), quod poſtquam foſſæ corruptis ſtagnantibus aquis repletæ, exſiccatæ fuere, quæ prope patriæ mænia exiſtebant, cives a peſtilentialibus febribus, quæ circa æſtatis finem omni plane anno graſſabantur, feliciter liberati ſunt. *M. Vetruvius* (4) cum Salapiam ad lacum ſitam quatuormillia paſſuum ab eo loco Salapinos tranſtuliſſet cives, illos annuali

(1) De Nox. Pal. efflux.

(2) De Tyber. Inund. Med. diſp. ad Clem. VIII.

(3) De Feb. Peſt. Cap. XX.

(4) Loc. cit. Lib. I. Cap. IV. in fine.

li peſte liberavit ; nullumque validius remedium fore cum *Hippocrate*, *&* *Galeno*, *C.Celſus* (1) aſſeruit, quam fugam. Conſtat ex Hiſtoriis Romanos multoties coactos fuiſſe ob maleficas vicinarum paludum exhalationes caſtra permutare; Urbemque exſiccatis ſtagnis a multis epidemicis morbis fuiſſe liberatam. Curſius cum videret quantum ſuis civibus damnum fœtentis paludis externè propinquitas in ipſa afferret Urbe, aſſiduas producens epidemias, uti etiam internè frequentes, & corruptas ſordes obſervaret, ita ſedulo, atque conſulto illam exſiccari curavit, ut per quoſdam novos ab ipſo inventos aqueductus tranſmitteret, & ſic plane Romam ab his infirmitatibus liberaverit; ideoque quod de voragine narratur arcanum eſt (2). Piſauri aer exhauſtis lacunis a Franciſco I. Urbini duce anno 1515. ſalubris redactus eſt (3). Holandiæ cœlum demptis paludibus *Polders*, & Galliæ dato per canales ſtativis aquis curſu aer ſaluberrimus, uberrimique campi evaſerunt (4). Clemens Septimus Laureti aeris bonificationi incubuit ſtagnantium aquarum exſiccatione, ſylvarumque

(1) Lib.I. Cap.I.

(2) Pringle loc. cit.

(3) Amati Luſit.Cent.Med. V. Cur.69. Joann. Colle Conſ.III. pag.200.

(4) Emerico Bolognini Memor. dell'antico, e preſente ſtato delle paludi Pont. nella Prefaz.

que reciſione, quæ hanc circumdabant Urbem, quod opus Pius V. continuavit. Idem, Clemens XI. in exſiccanda nempe palude in celimontana valle exorta peregit (1). Arefactis lacunis, penitus Balneorigenſis epidemia anno 1707. extincta remanſit (2). Brunduſii cives jam deperditam aeris ſalubritatem iterum acquiſiverunt; poſtquam Ferdinandus IV. utriuſque Siciliæ Rex, ut trium fœtentium paludum aquis in Brunduſii portu, olim apud priſcos Romanos celeberrimo, daretur curſus, canalem adaperuit cura celebris mathematici *Viti Caravelli*, & machinarii Æquitis *Andreæ Pigonati* (3): hujuſmodi enim paludes a ruderibus ejuſdem antiqui portus, & ab algis, quarum Adriaticum mare eſt abundantiſſimum habebant originem.

§. XX. Terra, ubi inſidebant paludes, omnibus telluribus færacior evadit, unde apud Græcos illud vulgare excurrebat adagium: *Paludes emere oportet*: Refert *Svetonius* (4) poſtquam M. Antonium, & Cleopatram debellaſſet Auguſtus cum Ægyptum ob Nili alluvionem acceſſu difficilem, ac paludibus penitus invium oſtendiſſet, foſſas multo limo jam clau-

(1) Lanciſius de Nox. Pal. effl. Lib.I. Par.II. Cap.II.

(2) Idem loc. cit. Lib. II. Epid.V. C.IX. §.I.

(3) Pigonati Riaprimento del Porto di Brindeſi.

(4) In Vit. Cæſar. Auguſti Cap.XVIII.

clauſas militum labore ita patefecit, ut copioſiorem Urbis annonam effecerit. Idem in præſens in illa parte, ubi pontinarum paludum ſtagnantes aquæ exſiccatæ ſunt, obſervatum volumus, quæ pars ſane ubertoſa, & nimis ferax reperta eſt.

§. XXI. Pontina Palus a Volſcorum Urbe Poemetia dicta (1), palus quoque Volſcorum nuncupata in Latio, ſeu potius in agro Romano inter Appii forum, Terracinam, & Circæjos, adeo late extendebatur olim, ut illam viginti tres Urbes *ex Plinio* (2) circumſederent, in quibus Poemetia erat, ſedeſque latronum dein evaſit (3). Exiſtimarunt Romani pontinum agrum totam illam eſſe planitiem, quæ Terracinam inter, Privernum, Circæjum, Antium, Coram, & Villitras (4). Triginta circiter milliaria habebat longitudinem, latitudinem vero octo circiter millia (5). Labitur in hanc paludem parvus fluvius Nymphæus, qui apud Circæos poſt Aſturam, ubi Cicero (6) villam marittimam habuit, & apud foſſam novam fluit (7): hujuſmodi Ciceronis locus memorabilis evaſit ob prædicti Romanæ eloquentiæ Principis cædem.

(1) Strabo Lib V.
(2) Lib.III. Cap.V.
(3) Idem Lib.II. Cap.III.
(4) Corradinus L.cit. L.II. Cap.XVI.
(5) Donius loc. cit.
(6) Cicero ad Attic. 12.20.
(7) Plinius Lib. III. Cap.V.

dem. Nympharum ædes ſupra prædictum amnem conſtitutas eſſe meminerunt *Svidius*, ac recenſiores eruditi viri (1). Ulterius, fluvius Ameſſenus, qui ex agro Privernate haud procul a Terracina, & Circæis deſcendit; Ouſens dein ita dictus ab Ouſentina Tribu, & decemnovius quoque nuncupatus; quoniam decem, & novem mille paſſus delapſus (2) e radicibus montis Settimi ſcaturiens juxta Privernum fluit, marique Tyrreno excipitur apud Terracinam (3). Aliique etiam minores fluvii, parvique rivuli in paludem hanc excurrunt.

§. XXII. De harum paludum origine, atque renovatione poſt varias a multis diverſis temporibus peractas exhauſtiones multi multa dixere. Pontinas paludes volunt nonnulli ex occultis ſcaturientibus venis habuiſſe originem, & aquam cum exitum haudquaque haberet, ibi ſtagnaſſet. Sed demonſtravit *Bolognini* (4) ſurgentes aquas in paludis centro non adeſſe: alii vero a pluvialibus aquis, vel fluminum inundationibus exortas eſſe ſentiunt. Unicam eſſe cauſam, quæ temporis decurſu inutiles tantas reddidit bonificationes, negligentiam nempe in cuſtodiendis fluminum aggeribus *Mura-*

(1) Vuplius Vet. Lat. Prof. Tom. III. Lib. V. Cap. IV.

(2) Corradinus L. C. C. XV.

(3) Virgilius Æneid. L. VII. V. 802.

(4) Loc. cit. Cap. IV. §. X.

Muratori (1) & *Bolognini* (2) demonſtrarunt, hinc paludes inde magis augeri conſpiciebantur. Utcumque autem res ſe habeat poſteriori ætate ex eorum fluminum oſtiis, limo, plantis junciſque agreſtibus, ibique ſtagnantibus aquis, lociſque congeſtitiis, palus mirum in modum excreſcere undequaque, & extendi cœpit.

§. XXIII. Pontinarum paludum aer ſemper fuit pernicioſus ob multiplicia morborum genera, qui in æſtate a corruptarum aquarum effluviis oriuntur, ut ſupra de aquis ſtativis generatim demonſtravimus, qualia loca multa reperiuntur in Italia calamitoſiſſima, atque æſtivo tempore lethalia: hujus generis eſt Adriatici maris hora ab Hiſtria ad Ravennam uſque ad mare infernum, ora Tuſciæ, & Latii (3). Serpentium, atque buffonium copia in agro Romano exiſtentia corruptas aquas tantum denotant, unde bene aſſeruit *Strabo* (4) omne Latium eſſe felix, omniumque rerum ferax, exceptis locis paluſtribus, atque morboſis, interque Ardeatinus ager inter Antium, & Lavinium uſque ad Poæmetiam, & Setini agri quædam, & circa Terracinam, & Circæjum; ideoque profluentes aquas exitum,

(1) Diſſer. XXI. Antic. d'Italia.

(2) Loc. cit. §. VIII.

(3) Donius de Reſt. ſalub. Agr. Rom.

(4) Lib. V. Geogr.

tum, neque per flumina, neque per foſſas invenientes ſtando putrefieri, humoreſque graves, & peſtilentiales in his locis emittere voluit *Vitruvius* (1). Sæviſſima peſtis a paludibus pontinis illata Volſcis fuit, quæ neque apud Græcos, neque apud barbaras nationes fuiſſe narratur, nemini parcens, cujus cladis exitio ſatis ſubjectæ fuerunt Villitræ, quæ Urbs quanto antea frequens, tanto in poſterum deſerta viſa eſt, ut vix decima pars incolarum poſt tam gravem remanſerit peſtilentiam (2).

§. XXIV. Sæpe a multis Pontinæ Paludes ſiccatæ fuerunt, ut nobis tradunt Hiſtorici, ſed non penitus *Donii* & *Bolognini* dictu. Anno U. C. 442. has paludes omnium primus exſiccavit Appius Claudius (3), qui Appiam viam injecto ſilice fundavit, ab eoque Appiæ nomen accepit. Has dein a Cornelio Cetego Conſule exauſtas fuiſſe voluit *Livius* (4) A. U. C. 593. Quod Julius Cæſar, vel incepit, ut *Plutarcus* (5), vel deſtinavit, ut *Svetonius* (6) ſcripſit. *Dion* (7) autem hoc opus Cæſarem incepiſſe voluit. Auguſtus dein, demptis paludi-

(1) Archir. Lib. I. Cap. IV.
(2) Dionyſ. Antiq. Rom. L.VII. Donius L.C. Kircher. Lib.IV. Cap.III.
(3) Corrad. loc.cit. Lib.II. Cap.XVI.
(4) Lib.XLVI.
(5) In ejus vita.
(6) In Vit.Cæſar. C.XXIV.
(7) Lib.XLIV.

ludibus, ad culturam redegit (1), viamque Appiam pene collapſam reſtituit, quæ antea a duobus fratribus Gracchiis, dein Julio Cæſare reſtaurata fuit, ut modo citati teſtantur Auctores. Trajanus exſiccationi incubuit, eamdemque viam reſtauravit (2), ſtravitque ſaxu quatrato, ſumptu ingenti (3). Veſpaſianus refecit, Domitianus autem ornavit atque munivit, aliique Imperatores dein reſtituerunt atque reſtaurarunt (4). Tercentum & amplius annorum ſpatio has paludes ſiccatas manſiſſe, & Imperatores totam Pontini plani extenſionem ab Auguſto liberatore ab aquarum colluvie vindicatam poſſediſſe ad Gratianum uſque, memoriæ proditum eſt (5). Romani hiſce temporibus ſummo ſtudio agros, & flumina reſtaurarunt, ſervarunt, ac a virgultis herbis canniſque paluſtribus repurgarunt, effeceruntque, ut aquæ libero curſu fluerent in mare (6). Neglectis autem his curis paludes iterum videbantur extendi: ideoque Cæcilius Decius Patricius Romanus quatuorcentum annis poſt Trajani Imperium (7) ſub Theodorico Gothorum Rege (8) circa annos Chriſti 480. hiſce aquis inun-

(1) Donius ibid.
(2) Dion Lib.LXVIII.
(3) Plinius Lib.XXIV. Capit.IV.
(4) Corrad. loc. cit. C.XX.
(5) Idem loc.cit. Cap.XVI. & Bolognini loc. cit.
(6) Feſtus Lib.XVI.
(7) Bolog.L.C.P.I.C.II.§.9.
(8) Caſſiod. L.II. Epiſt.33.

inundantibus curſum dedit liberum (1). Expulſis deinde Roma Gothis, ruptis, devaſtatiſque in illa temporum perturbatione, atque depopulatione aquæductibus, fluminumque aggeribus, iterum pontinæ paludes in priſtinum ſtatum redactæ ſunt. Sub tali alluvione agri pontini remanſerunt, donec Bonifacius VIII. inter Romanos Pontifices primus agros a paludoſis aquis inundatos ſiccavit, atque ad culturam redegit. Nymphæum amnem, fluvium S. Nicolai, aliumque Falconis per artefactam foſſam duxit in cavatam Setinorum (2), in eam ſcilicet foſſam, quam fecit Auguſtus, quamque longitudine, & latitudine ampliavit Nero (3). Quippe Nymphæi, & prædictorum fluminum aquæ, tunc breviori via per tres pontes a Trajano ſupra appiam viam conſtructos ad pontem Trovæ, & dein per alveum, quem Rium Martinum appellant, educebantur in mare (4). Defuncto Bonifacio, Pontificumque abſentia ſeptuaginta annorum ſpatio, qui Avenionem Cathedram Apoſtolicam detulerant, aquæ ſummopere extendi cæperunt, donec Martinus V. Nymphæo antiquum curſum reſtituit. Nicolaus V. dein exſiccare aggreſſus eſt (5). Caliſtus III., Pius II., Sixtus IV. o-

D opus,

(1) Corrad.loc.cit.Cap.XV.
(2) Idem loc.cit.Cap.XVII.
(3) Idem loc. cit. Cap.XIV.
(4) Idem loc.cit. Cap.XVII.
(5) Donius de Reſt.Sal.Agr. Rom.

opus, & alveos ab antiquis extructos reſtaurandos putarunt, unde multis conſtitutionibus in forma brevium Terracinæ, & Setinorum communitates ad inundantes aquas reparandas coegerunt, ſed fruſtra; nam tales conſtitutiones non obtinuere, quod intendebant, eo quia exequutæ non fuerunt (1). Leo X. has paludes ſolemniter dono dedit primum Juliano, dein Laurentio de Medicis, qui in humilioribus locis, & mari propinquioribus exſiccationem peregit, ut apparet ex prædio, quod nuncupatur *di Gavotti*, & noſtris hiſce temporibus ab aquis adhuc liberum ſervatur. Domus autem Medicea ſeptuaginta novem annorum ſpatio totius paludis abſolutum habuit dominium (2). Sixtus autem V. harum paludum recuperavit dominationem, idemque opus fruſtra non ſuſcepit, & viginti milliaria longitudinis, ſeptemque latitudinis ad culturam reduxit, quo in opere biſcenties impendit millia romanorum ſcutorum, teſtante *Angelo Rocca* (3). Præfatus Pontifex ad tanti operis curam Cardinalibus Montalto, Pallotta, & Pepoli uſus eſt. Dum tam magnum peragebatur opus an. 1585. eò ſe contulit, Setiam petiit, dein in campo in palude ſito, quem adhuc uſque ad hodiernam

(1) Bolognini loc.cit. Cap. III. §. II.

(2) Idem loc. cit. §. III.

(3) P. Tempeſti nella Vita di Siſto V. T. II. Lib.IV. §. 30.

nam diem vocant *il Padiglione di Siſto*, noctem tranſegit, loca luſtravit, excavari mandavit, foſſamque novam fieri juſſit, quæ Sixti ab ejus nomine flumen dicitur, quam foſſam putavit *Corradinus* (1) eſſe illam modo dictam ab Auguſto factam. Inſtaurationes ab hoc Pontifice factæ, fuerunt prorſus inutiles, malæque inceptæ, ut *Caſtelli* (2) voluit, & inter tot, tantaſque operationes tandem ſiccavit, ſed cum recta exſiccatio non foret bene excogitata, ut voluit idem, ita defuncto Sixto, neglectoque negocio, aquæ in priſtinum ſtatum reverſæ ſunt. Urbanus VIII. qui jam factam propoſitionem ab Hollandiæ populis recuſaverat ante an. 1637. ſiccandarum paludum facultatem conceſſit Cornelio Wit Batavo, ſuiſque ſociis, ſed tale opus ob prædicti Wit directoris mortem inceptum non fuit (3). Innocentius X. anno 1648. eamdem facultatem Paulo Marcelli, aliiſque ejus ſociis tribuit. Jam opus erat ſuſceptum cum oborta ſociorum diſcordia tantam operationem iidem reliquerunt. Sub Alexandro VII. anno 1659. Nicolaus Vanderpellens hujuſmodi bonificationem ſuſcipere volebat, ſed conditiones in tractatu immittendæ ab eodem nimis oneroſæ exiſtimatæ, fuerunt in caufa, cur opus non ſuſciperet. Cornelius Me-

 yer

(1) Loc. cit. Lib. II. C. XVI.
(2) Loc. cit.
(3) Bolognini loc. cit., & ſubſeq. §§.

yer Batavus anno 1679. paludum planum in charta delineatum una cum pollicitatione dedit Innocentio XI., cujus petitio variis rationibus repulſa fuit. Interim aquæ ſummopere extendebantur, qua de cauſa ſetini reclamarunt, ut Teppiæ torrens, aliaque ſovea, quam vocant *il ſoſſo de' Cappuccini*, per antiquos duceretur alveos, & Nymphæus aggeribus muniretur, donec exundantes aquæ per meſſagnarum prædium in Trovæ piſcinam decurrerent. Sacra Congregatio Boni Regiminis annis 1693. & 1697. Nymphæi alveum dilatari, aggeribuſque muniri edixit (1). Iterum cum Cornelio de Meyer tractatum a Congregatione aquarum abitum reſumere ſtuduit ann. 1699. Innocentius XII., & Princeps Livius Odeſcalchi exſiccationis provinciam accepit. Clemens XI. prædictum Principem, ut citius daret operam diſſiccationi hortatus eſt, & Setiam miſit Cardinalem Renatum Imperiali, qui mandavit, ut inter alia, quæ ab ipſo agenda erant, poſſidentium ſumptibus *Puzzæ* flumen aggeribus muniretur. Benedictus XIII. an. 1729. Romualdum Bertaglia, & Franciſcum Rambetti Architectos, ad examinandas, exhauriendaſque paludes miſit; at anno ſequenti prædictus Pontifex vita deceſſit, unde relictum fuit opus. Benedictus autem XIV. anno 1742. a non-

(7) Corradini loc. cit.

nonnullis ſociis multas accepit ſupplicationes, ſed cum ii conditionibus ſatisfacere recuſaſſent, relictæ ſunt (1). Sub Clemente XIII. iterum eadem petitio in medium prodiit, quæ examinata, concluſa non fuit, quo tempore *Emericus Bolognini* Generalis marittimæ, & campaniæ Gubernator, paludum planum Angeli Sani S. P. Q. R. Geometræ opus, in acceſſu, quem ille fecit, incidere curavit, memoriamque pontinarum paludum antiqui, & præſentis ſtatus edidit (2). Tandem PIUS VI. P. O. M. Romanorum Conſulum, Cæſarumque in animi magnitudine æmulator, cum poſt ab aliquibus Mathematicis de exſiccandis paludibus conſilium haberet, eas anno 1778. exhaurire penitus aggreſſus eſt.

§. XXV. Ager ille, qui paludoſus ſit, in tres partes diviſus eſt, ut ex earumdem planu ſupradicto anno impreſſo conſtat: in permanente nempe palude, in palude a quacumque pluvia inundata, & in palude a maximis exundata pluviis. Permanentis paludis longitudo, ut ex eodem plano patet, viginti duo circiter milliariorum, latitudo autem ſeptem circiter, ad longitudinem uſque viginti ſex milliariorum, latitudinem vero decem, ab eo ſitu *foſſa nova* dicto, ad Terracinæ nemora ab aquis pluvialibus augetur. Novus alveus, ſeu

(1) Bolognini loc. cit. (2) Loc. cit.

ſeu canalis PIUS a ſummi Pontificis nomine ita nuncupatus, qui omnium aquarum excipit exitus viginti duo milliariorum ſpatio a Turre, uti dicitur *Tre ponti* incipiens, ad mare uſque, & a præfata turri per viæ Appiæ longitudinem ad majorem pontem excurrit, aggeribus munitus. Alvei longitudo Forum Appium verſus eſt palmorum ſexaginta, palmomorumque centum octaginta in Ouſente apud mare. Ad libellam compoſita declivitas pontini plani a turre trium Pontium ad mare quadraginta, & octo palmorum exiſtit, unde pro omni milliario duorum palmorum, & amplius habet declivium. Majorem pontem a fundamentis reſtituit PIUS SEXTUS, & flumen, cui nomen Amaſſenum antea libere pervagans campos inter ripas ſubter novum pontem percurrere coegit, ut ſe exoneret in mare, ubi inſculpta elegans intuetur lapidaria inſcriptio: *Viti Giovenazzi* opus, ſicque ab una pontis parte legitur.

§. XXVI.

PIUS SEXTUS PONT. MAX.
A FUNDAMENTIS RESTITUIT
ANNO CIƆIƆCCLXXX.
PONT. SUI V.

Ab altera.

Qua leni reſonans prius ſuſurro
Molli flumine ſeſe agebat Ouſens,

. . . .

Nunc

§. XXVI. Sixti veſtigia ſequens PIUS VI. anno 1780. ſe contulit ad paludes, uti legitur in illa inſcriptione (1) rure Principis de Alteriis Civitatis Albani ſita, ubi Idem e paludibus rediens non multo temporis intervallo permanſit. Denuo Summus Pontifex ſecundum iter aggreſſus eſt anno 1781., & tertium anno 1783., obſervavit opus, bonificationes, omneſque peractas operationes comprobavit, inſpectoribus vero, atque operariis ad hujuſmodi perficiendam exſiccationem fuit incita-

 men-

Nunc rapax Amaſenus it, lubenſque
Vias dedidiciſſe ait priores,
Ut SEXTO gereret PIO jubenti
Morem; neu ſibi, ut ante, jure poſſet
Viator male dicere, aut colonus.

(1) Anno Salutis MDCCLXXX. XII. Calendas Majas:
Pomptina e regione SEXTUS Urbem
Dum redit PIUS, (hac enim æmulatus
Auguſtum quoque parte, ferre aratrum,
Quæ remos tulerant prius, paludes
Cogit Maximus, Optimuſque Princeps.)
Dignatus mihi Villulæ puſillæ eſt
Honori dare, tantus ipſe cum ſit,
Ut diverteret huc meridiatum
Parca ad lautia, ruſticumque tectum,
Pro quo Villula honore ego puſilla
Poſthac pluris ero mihi, atque Villas
Omnes vel minimo una provocabo.

Æmilius Hyeron. F. Alterius Familiæ Princeps, nomine ſuo, & ſuorum p.

mento. Multoties Meſiæ ſurni domi faſtigium aſcendit, videndi cauſa unico intuito totam paludum extenſionem. Ea de re ad æternandam tanti Principis dignationem conſonum erat, ut ad poſterorum memoriam eo in loco celebris illa, quæ nunc inſpicitur, poneretur inſcriptio (1).

§. XXVII. Facile tandem erit latas has paludes exſiccatas conſervare, at quædam, ut id obtineatur, neceſſario requiruntur. Primo cataractas auferendo, liberum aquis curſum præbendo: ſecundo majorum fluminum a plantis herbiſque purgatorum curam habendo: tertio

(1) *Vilis, viator, uſibuſque vilibus*
Addicta ſim licet, tamen contemnere
Cavebis, & putare me nihili caſam.
Quid ita, rogabis? accipe: eloquar brevi.
Princeps, paterque maximus Patriæ PIUS,
Is, rem Latinam, quo regente, ſaecula
Rediſſe in aurum quiſque priſtinum videt,
Videt, reique gratulatur publicae,
Suæque privatim: ergo, ne ſis neſcius,
Is ter, quaterque ſuperiore proxime
Anno ſubire limina haec, haec limina
Intra morari non gravatus tempore eſt
Aliquantulo, & proſpicere ſummo e culmine
Pomptina qua ſecumque porrigit palus.
Quid plura? vidit, & probavit ſingula.
I nunc, viator, quo vocat te res tua,
Et ſperne talem, ſi potes, poſthac caſam.
Anno MDCCLXXXI.

tertio fluminum aquas intra ſuas ripas conſervando,ut ſcribit *Benedictus Caſtelli* Urbani VIII. Mathematicus (1). Id pauca fit impenſa, ut idem auctor affirmat, maximamque eorum locorum incolis affert utilitatem, ob purum redditum aerem, omnibuſque effluviis veneficis repurgatum (2).

(1) Conſider. ſopra la Bonif. delle Pal. Pont. vide Fid. Fortunati de Pont. Palud. Lib.I. Cap.V.

(2) De Palud. exſicc. temp. & Mod. vide Idem apud Baratt.Par.II. ſuæ Archit. L.IV. Cap.V.Ariſtot.Meteorol. L.I. Tex.69. Cabeus Commen. ejuſd.ſup. ejuſd. Tex. Blancatus in L. Ariſt. Math. Metheor. Tit. de Ter. Rotund.Guglielminus de Nat. Flum. Cap.VI. 16. Lanciſius de Nox.Pal. Effluv. L.I.P.II. Cap .II. & III. Bolognini loc. cit. Bonini del Tevere incantato Lib. VI. Cap.VI.

PETRI ORLANDI
ROMANI

PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ DOCTORIS

DISSERTATIO

PHYSICO-MEDICO-PRACTICA

DE MORBIS

AB ANNO CIↃIↃCCLXXVIII. AD CIↃIↃCCLXXXII.

ROMÆ OBSERVATIS



ROMÆ MDCCLXXXIII.

EX TYPOGRAPHIA JOANNIS ZEMPEL.

SUPERIORUM PERMISSU.

Utinam, ommiſſis theoreticis argumentis, ſolida obſervationum præcepta, & fidam rerum magiſtram experientiam ſequi non erubeſcerent Clinici.

Anonimus Auctor de Febri Noſocomica Mediolani typ. imp. an. 1779. pag. 9.

DE MORBIS

AB ANNO CIƆIƆCCLXXVIII. AD CIƆIƆCCLXXXII.

ROMÆ OBSERVATIS

DISSERTATIO.

§. I. ANno 1779. Diſſertationem edidimus, quæ de Morbis pectoris in illa hyemali tempeſtate graſſantibus agebat: nunc eidem novis theoriis locupletatæ alios adjungimus Morbos, qui per totum hujus anni curriculum Romæ ſunt dominati; brevi præmiſſa Morborum hiſtoria, qui in Urbe anno 1778. apparuere: dein ſubſequentes paucis alias exponemus ægritudines, aliaque peculiaria phænomena ad totum uſque annum 1782.

De Infirmitatibus anni 1778.

§. II. Anno 1778. hyems pluvioſa nimis fuit, ventoque ſubjecta, quo tempore quampluri-

plurimos pectoris morbos obſervavimus; pleuritides nempe, peripneumonias facile in ſuppurationem abeuntes, catharales fluxiones, febres periodicas pervicaces, meſſentericas, diarrheas, diſſenterias, anginas, aſthmata humoralia, hydropes &c. (1). Veris autem initium pluvioſum fuit, & auſtrale (2), quo tempore nonnullæ apparuerunt infirmitates, uti in prægreſſa hyeme fuerunt obſervatæ. Altera dein veris pars frigida; qua de cauſa tunc pleuritides ſymptomaticæ ab aliquibus Medicinæ Doctoribus, dictæ, bilioſæ, & ſynocus pleuritica ab aliis, apparuere cum dolore punctorio aut in coſtis ſpuriis, aut in legitimis ad homoplatam reſpondente, quæ quidem maxime periculoſæ fuerunt. Hujus generis morbi in algidis conſtitutionibus advertuntur, quæ a viſcerum phlegmone, aut eryſipelate ſuam trahunt originem (3); & rite correſpondere vidimus cum illis ſequenti anno 1779. dominantibus.

§. III. Æſtatem habuimus valde calidam, & ſiccam, per quam regnarunt febres putridæ, coagulativæ periculoſæ nimis, ac exitiales.

(1) Hippoc. Sect. III. Aph. XXII. & Diſſert. Noſtr. de Morb. Pector. in hyeme 1779. Romæ obſer. §.X. pag. 17.

(2) Vid. Hippoc. Sect. III. Aph. V.

(3) Diſſert. citat. ibidem pag. 18.

les. Per nimium enim calorem liquidiſſima e corpore diſſipantur, & reſidua humorum maſſa denſior evadit: ideoque ad morboſas concretiones redditur efficaciſſima. Inter obſtructionis cauſas nimius adnumeratur calor, qui humores noſtros valde coagulat, quia fluidorum noſtrorum molleculas adunat, atque condenſat: ſicque illas reddit ineptas, ut per vaſorum extremorum nimis anguſtorum meatus poſſit libere tranſire (1). Hæc humorum craſſities non tantum a liquidiſſimæ partis diſſipatione evenit; verum etiam a nimio calore, qui ad denſitatem humores diſponit, atque congerit. Febribus iſtis purgantium, aut blandorum emeticorum uſu in morbi principio, juxta tamen diverſas ægrotantium conſtitutiones, atque vires, aliqua ſanguinis detractione dummodo neceſſaria fuerit, epiſpaſticorum, & corticis peruviani uſu, debito tempore, ac repetitis vicibus adhibito, fere omnes liberatos vidimus. Sub Autumnali autem initio multas quoque obſervavimus febres periodicas colliquativas valde periculoſas, cum omnibus ſymptomatibus eaſdem concomitantibus. Optimum hoc in caſu experti ſumus præfatum corticem cum radicis valerianæ ſylveſtris, & Diaſcordii Fracaſtorii aliqua quantitate in ſcorſoneræ aqua per vices data, pro ordinario potu hordei

(1) Loc. cit. pag. 19.

dei decoctiones cum ſyrupo corticis citri, aut oximelle ſimplici conſtituimus; quæ febres per totum etiam autumnum una cum aliis acutiſſimis morbis perſeverarunt (1).

De Morbis anni 1779.

§. IV. Anno autem 1779. hyems ſicca nimis fuit, & frigus ingens borea flante cum nive, ac gelu quotidiano. Pluviæ a Kalendis Decembris anni modo elapſi ad junii uſque numquam ſuper terram cecidere, exceptis paucis diebus, quibus parum, aut nil pluviæ deſcendit (2); quo tempore multæ pleuritides, peripneumoniæ facile in gangrænam abeuntes, anginæ inflammatoriæ, humorales, & lymphaticæ, corizæ, tuſſes, reumatiſmi, convulſiones, colicæ, diſſenteriæ, variolæ confluentes, ſimiles illis anni 1772., graſſatæ ſunt, & quamplurimi hoc morbo correpti interierunt. Inter alias autem ægritudines nimiam cladem fecit ſymptomatica pleuritis, quæ facile in peripneumoniam degeneravit, deſinitque ſine prævia expectoratione in gangrænam, & quatuor diebus circiter perierunt: invadere tantum vidimus homines cachochimicos, debiles, bilioſos, malepaſtos, praviſque

(1) Hippoc. Sect. III. Aph. IX. & Diſſert. Noſ. §. VIII. pag. 20.

(2) Diſſer. cit. §. IX. pag. 20.

que humoribus ſcatentes ; immunia autem erat bona , atque ſana temperamenta . Tales pleuritides ſimiles ſunt illis , quæ *a Lanciſio* (1) , *&* *Gagliardo* (2) anno 1709. deſcriptæ ſunt ; hyems quippe gravis nimis fuit , atque algida .

§. V. Hi pectoris morbi a nimia aeris frigidate , ac ſiccitate ex continuo boreæ flatu adaucti ſunt : nam inter alios recurrentes morbos , prædominantes extiterunt . Unde hujuſcemodi infirmitates epidemicæ reapſe non erant , ſed ſtationariæ , & intercurrentes, quia omni fere anno juxta diverſas aeris conſtitutiones nonnullæ apparere ſolent (3) . Quapropter immoderatam ſiccitatem , vel humiditatem nimiam uti ſanitati inimicam damnavit *Hippocrates* . In hyeme anni 1626. ob vehementes boreæ flatus multæ graves diſtillationes apparuerunt , quæ caput , & ſignanter fauces obſidebant (4) . Inter hybernos morbos pleuritidem , & peripneumoniam connumeravit *citatus Hippocrates* (5) , voluitque ex frequenti auſtralium , & aquilonarium ventorum tranſmutatione apparere (6) . Illas idem deſcri-

E pſit ,

(1) Hiſt. Rom. Epid. ann. 1708. & 1709.

(2) Relat. de'mali di petto &c.

(3) Diſſert. Noſtra §. XIII. pag. 25.

(4) Donius de reſt. ſalubr. agr. Rom.

(5) Sect. III. Aph. XXIII.

(6) Lib. IV. Epid. Sect. VIII.

pſit, quas in Tarſo ad æquinoctium uſque perdurantes obſervavit (1).

§. VI. Hujuſmodi algidiſſimæ hyemes, morbique pectoris prorſus novi non ſunt, uti reperitur *in Hippocrate* (2), *Celſo* (3), *Valleſio* (4), *Hollerio* (5), *Ballonio* (6) *&c.* Anno 1348. ut in noſtra diſſertatione de morbis pectoris expoſuimus (7), teſte *Andrea Galli*, apparuerunt, qui per totam undique terram graſſabantur, atque quinque annorum ſpatio perdurarunt. Similes *Dodoneus* (8) annis 1557., & 1565. Romæ *Petronius* (9) 1562. uti *Cagnatus* (10), *&* *Marſianus* (11) anno 1570. Anno autem 1580. in Germania, & in Gallia *Foreſtus* (12), 1665. Lugduni *Sydenamius* (13), 1690. Mutinæ *Ramazzinus* (14), Romæ 1694. *Baglivius* (15), & iterum Romæ 1709. *Lanciſius* (16) *&* *Gagliardus* (17) obſervarunt, fuitque hoc anno univerſæ pene Europæ communis

(1) Conſtitut.II.
(2) In Epid. Prænoct. de hum. de dieta de morb.
(3) Lib.II. Cap.I.
(4) In Hippoc. Comment.
(5) Lib. de obſer. prop.13.
(6) Epid. Lib.I. & Ephe. Lib.II.
(7) §.IV. pag.11.
(8) In Lib. obſerv. Med.
(9) De Vict. Roman. Lib.I. Cap.V.
(10) De ſalub.Roman. aer.
(11) Hippoc. Com. de Loc. in Hom.
(12) Lib.VI. obſer.3.
(13) Conſt. epid. an.1665.
(14) Conſt. epid. an.1690.
(15) De uſu, & abuſ. Veſſic. Cap.III.
(16) Ibidem.
(17) Ibid.

munis affectio. Methodus hujus curandi morbi in modo dicta conſtitutione anni 1709. inter Medicos diverſa fuit: omnes autem in eo convenerunt, ut Roma a ſordibus quam citiſſime expurgaretur (1), quod factum eſt maxima totius Urbis utilitate; quam utilitatem adhuc in conſtitutione anni 1779. experti ſumus ob vigilantiam, & ſolertiam viarum Præſulis Joannis Baptiſtæ De Pretis. Refert *Gagliardi* (2) morborum pectoris epidemiam ſe manifeſtaſſe in fine anni 1708. uſque ad ſequentem fere totum annum, quæ infirmitates *Caſtronis* nomine nuncupatæ fuere (3), ut accidit etiam ſeculo XVI. & XVII. (4). In Piſaurenſi epidemia caſtrenſium febrium anno 1709. adhuc pleuro-peripneumonica obſervata fuit conſtitutio (5). In menſe Novembri anni 1713. uſque ad 1714. iterum apparuiſſe, quæ denuo revixit in fine 1719., & in 1720. initio. Symptomata concomitantia, cauſas morbificas, & curativam methodum *a Gagliardi* præſtitam: vide citatam diſſertationem noſtram (6). Non ſolum Romæ morborum hujuſmodi conſtitutio anno pariter 1742.; verum etiam per to-

E 2 tam

(1) Lanciſ. loc. cit. ſummar.

(2) Loc. cit.

(3) Lanciſ. Hiſt. Rom Epid. Cap. II. in princ.

(4) Cagnat. & Don. loc. cit.

(5) Lanciſ. de Nox. Palud. effluv. Lib. II. Epid. IV. Cap. V. §. IX.

(6) §§. V. VI. pag. 13. §. IX. pag. 16.

tam undique Italiam (1); uti Bernæ anno 1753. (2) apparuit.

§. VII. Hæ pectoris inflammationes anni 1779. ſic manifeſtabantur: cum levi ſymptomatum apparatu incipiebat febris; ſuperveniebat dein punctorius dolor in pectore, modo inter coſtas legitimas, nunc inter ſpurias, qui dolor interdum ad homoplatam, & aliquando ad dorſum propagabatur cum ingenti pectoris oppreſſione, anxietate, difficili reſpiratione, tuſſi ſicca, ac inani; nil commemoratu dignum expectorabant ægri, aut aliquid tantum lymphatici, bilioſique humoris; aliquando ſputa cruenta apparebant in principio cum virium prolapſu, horrore, nauſea, interdum vomitu tenuium, ac bilioſorum, aut vomendi inani conatu, acidis nidoroſiſque ructibus, aurium tinnitu, fugacibus ruboribus in vultu, pulſibus variis, tenuibus nempe contractis, irregularibus, & ſubdolis, deliriis, vigiliis, magna linguæ ſiccitate, albedine, pallore, ſcabritie. Linguæ ariditas ſignum proprium eſt peripneumoniæ, quæ in eryſipelate conſiſtit. Nam legitur apud *Hippocratem* linguam peripneumoniacam dici eam, quæ cum pallore albicat: per lectum jactationibus, ac viſce-
rum

(1) P. A. Rotondi Prin. Fiſici &c. Par. III. pag. 202. Tom. I. Cap. 20. delle Pleur. ſpurie, e bilioſe.

(2) Tiſſot Avvert. al Pop.

rum ardore : quandoque non manifeſtabatur dolor, aut cito diſſipabatur, quod ſingillatim indicavit idem *Hippocrates* (1). Dolorem aliquando ad ſuperiora vergere vidimus ſine ulla anacatarſi, quod valde periculoſum fuit (2). Pleuritidem ſiccam primum invenit *citatus Hippocrates*, quam teterrimam vocavit *Ballonius*, in qua dolor ſymptomaticus erat, cujuſmodi ſymptomaticas pectoris inflammationes obſervavit *Sydenamius* (3); febris autem erat eſſentialis: unde in hiſce infirmitatibus, indolis, ac natura febris erit inveſtiganda, ut citatus auctor docuit. Monuit *Ballonius* quoties agitur de dolore lateris dignoſcendum, an eſſentialis ſit febris, nec ne. Linguæ autem ariditas, lividuſque color, qui in iſtis obſervantur ægrotantibus gangrænoſam pulmonum diſpoſitionem, atque ſtatum demonſtrant. Diverſis nominibus a Medicinæ Doctoribus hæ infirmitates nuncupatæ fuere; ideoque diverſa curativa methodus adhibita fuit (4).

§. VIII. Inter alios intercurrentes morbos prædominans ſymptomatica pleuritis fuit (5), ſemperque eryſipelatoſa (6). Cuncta viſcera

 eryſi-

(1) Sect.VII. Aph.V.

(2) Diſſert. Noſt. §. XIV. pag.25.

(3) Lib.IV. Cap.V.

(4) Diſſert. cit. §.XI. pagin.22. 23.

(5) Ibid. §. XIV. pag. 25.

(6) Loc.cit. §.XV. pag.26. ad 28.

eryſipelati eſſe obnoxia docuit *Hippocrates* (1), & inter eryſipelatis cauſas in pulmone nati febres etiam connumeravit. Hujus morbi grafice ſigna dedit idem, quæ a nobis in hac conſtitutione adnotata ſunt (2). Hæ autem eryſipelatoſæ pleuritides pulchre *a Ballonio, & Baglivio* (3) deſcriptæ ſunt. Concludimus ergo *cum Galeno, Hallero*, aliiſque has pectoris inflammationes, a tenui acrique exundante humore in circumjecta celluloſa tela, non vero in minoribus pleuræ pulmonumque vaſis ſtagnatione eſſe productas, quod adhuc a cruore in veris inflammationibus fieri voluit,* ex qua facile cuncta eryſipelatum obſervata explicantur phœnomena. Sed ut clare, atque validius appareant ea, quæ de eryſipelate breviter exaravimus, aliquid in medium de eorum natura, cauſis, & effectibus modo proferemus.

§. IX. Neminem inficiari arbitror hujus pectoris affectiones ſymptomaticas eſſe, & prorſus ab aliis fere diſſimiles, quæ veram inflammationis indolem conſtituunt. Qua de cauſa primum conſiderare oportet naturam, atque humoris qualitatem jam a ſua optima indole degenerati, atque morboſi, antequam in pectore deponatur, & omnes illas obſervare cautio-

(1) De morb. L.I. C.VIII. Chart. Tom.VII.

(2) Diſſ. Noſt. ibid.pag.27.

(3) Ibidem.

cautiones, quæ hinc, atque illinc nobis ab Hippocraticis ſub generico nomine *abſceſſuum Hippocratis per decubitum* indicantur. Omnes ergo pectoris morbi generatim ejuſdem erant indolis, atque eryſipelatoſi manifeſtabantur, & recte eryſipelatodum pleuritidum conſtitutioni correſpondent, quæ *a Ballonio* (1) deſcriptæ ſunt; correſpondent quidem omnino obſervationibus, & ſignis characteriſticis, quæ *in magni Hippocratis* operibus, nec non in ejus commentatoribus, aliiſque multis excellentibus Clinicis adnotantur.

§. X. Non negant multi has affectiones eſſe eryſipelatoſas, & pro ſuppeditanda antiphogiſtica curatione, nil aliud eſſe ſuſtinere conati ſunt, niſi veram inflammationem. At humor, qui eryſipelata conſtituit, cujuſnam naturæ eſt? Majores noſtri eum pro bilioſo, acre, ſtimulante, meabileque humore agnoverunt, qui ex uno loco ad alium facile evehi poterit: ideoque ſubjecta vidimus temperamenta cachochimica, ſcorbutica, bilioſa; imo *Tiſſot* (2) has bilioſas, ſeu potius eryſipelatoſas pleuritides ſenes, molleſque pueros, valetudinarios, prægnantes mulieres, debileſque viros invadere demonſtravit: experientia, & practicæ obſervationes innovationibus non

 ſunt

(*) Phyſiol. L.I.Par.I. §.31.
(1) Epidem. Tom.I.
(2) Avviſ. al popol. §.287.

ſunt obnoxiæ. Scientiæ omnes ſemper variis ſubjectæ fuerunt viciſſitudinibus, uti famoſæ olim ſectæ Pictagoræ, Platonis, Ariſtotelis, Carteſii, Newtonis &c. demonſtrant. At quod obſervavit *Hippocrates* ante Platonis ætatem, non modo ejus coevi; ſed etiam poſteri, & poſt multa ſecula hiſce temporibus amplexi ſunt. Cunctæ obſervationes ab innumerabilibus celeberrimis Medicis factæ, unanimi conſenſu *magni Hippocratis* doctrinam confirmant.

§. XI. A duobus igitur cauſis pendent eryſipelata, a latice nempe quodam cauſtico, ſemperque bilioſo, facileque mobili, ut meliores practici inter ſe conveniunt conjuncto cum ſanguine, & ab impedita ejuſdem evaporatione per tranſpirationem. Locum, ſuamque ſedem ſæpe ſæpius mutant eryſipelata: ſi ad encephalum latex hic transferatur, maximum inducit delirium; facies rubicunda, oculi ſanguinei obſervantur, & lethargici miſerrime moriuntur. Si ad pulmones, anxietas, pectoris oppreſſio, difficilis reſpiratio, calor immodicus &c. (§.VII.), maximeque hæ infirmitates lethales ſunt; nam tertio moriuntur die, raroque ad ſeptimum perveniunt: obſervavimus utique ſæpiſſime in illos redire eryſipelata in quibus affectus eſt hepar. Quam faciles ſunt horum morborum recidivæ! quot acuti

acuti morbi terminari videntur in eryſipelata! Pariter multoties advertimus, & præſertim anno 1780. tertianas febres bilioſæ indolis conquieſcere eryſipelate ſuperveniente, quo evaneſcente in eaſdem febres confeſtim ægroti relabebantur; qua de cauſa eryſipelata tam raro ſuppurant; & ſi id evenerit, hæ ſuppurationes valde fiunt pertinaces.

§. XII. Si ſupponimus uſque ad depoſitionis actum eryſipelatoſi humoris, eum eſſe ſane blandum, & innoxium, negari non poteſt eum, quotieſcumque diſſociatus a communi fluidorum maſſa ſit, evadare naturæ inimicum; & licet reaſſumptum difficulter cum fluidorum maſſa conjungi iterum poſſe; pariterque inficiari nequaquam poterit eum degeneratum, fore naturæ ſicut inalterabilis, ita morboſæ. Moram demum adjungimus, quam facit ſtagnando, calorem etiam ſolidorum, fluidorumque actionem, qui eum ſtimulantem efficiunt.

§. XIII. Quoniam hujus eryſipelatis humorem mirabiliter ab una ad alteram corporis partem vagari obſervamus, nobis in animo fuit inter alios cogitare ejus ſedem eſſe tantum in celulari (§. VIII.). Syſtemata omnia generatim loquendo, nec ſemper damnanda, nec admittenda ſunt. Hallerianum ſyſtema in explicandis phœnomenis, quæ ab eryſipelatis natura proficiſci inſpiciuntur, nobis videtur eſ-

ſe

ſe rationabile; utcumque autem res ſe habeat, ſicut externi morbi correſpondent nimis cum internis; ita nequaquam erramus, obſervatas pectoris inflammationes tantum credere eryſipelatoſas, quoties eorum ſigna ſane eryſipelatoſis reſpondent inflammationibus.

§. XIV. Hæ pectoris affectiones cum levi ſymptomatum apparatu interdum incipiebant, aliiſque ſymptomatibus ſupra deſcriptis (§. VII.), ex quibus deducitur facilis aſportatio e pleura in pulmones acris, meabiliſque humoris, qualis eſt illa eryſipelatum. Nonne ſunt hæc eorumdem propria phœnomena? Dolores ergo pectoris in eryſipelatoſis inflammationibus erratici ſunt. Illud obſervatione dignum eſſe nobis videtur; ſcilicet febrim in morbi decurſu ſæpe cum aliquo rigore exaſperari. Adeo frequenter id experti fuimus, ut pro certo id habeamus patognomonicum ſignum. Ex his eruimus hujuſmodi inflammationes in hac conſtitutione eſſe ſymptomaticas, & tantum eryſipelatoſas, quia a ſignis, & a cauſis veram inflammationem conſtituentibus ſummopere diſcrepabant.

§. XV. In hiſce pectoris morbis, ut plurimum, nec in prima, nec in altera, nec interdum in tertia ſanguinis emiſſione in cruoris ſuperficie phogiſtica apparebat concretio, quæ vel in quarta, aut quinta emiſſione maxima

ximа apparebat, totam fere in inſulam invadens. Si fas eſſet ad hujus phœnomeni theoriam modo tranſire, afferrem, quæ in variolis contingunt, *Van-Swieten* ex una parte, & *Gandini* ex altera viam nobis oſtenderent. In acutis morbis voluit *Gorterus* in ſua chirurgia, ut ſi eductus ſanguis cuticulam flogiſticam non formaret ægrotos ex ſanguinis emiſſione, non levari, eandemque prohiberi voluit. Sed ſi ſupra ſanguinem emiſſur cuticula flogiſtica ex eodem non formetur, ſignum eſt eum morbum acutum, eſſe eryſipelatoſum, inter quos multi ex hodiernis nullum ponunt diſcrimen. Noſtris enim temporibus nonnulli non medentur juxta *Hippocratis*, aliorumque eximiorum Clinicorum methodum, ſed reſolutionem cum notabili ægrotantium damno quærunt, quæ veritas innotuit etiam *Boerhaavio* (1).

§. XVI. In cadaveribus illorum, qui hoc morbo interierunt, ſerum obſervabatur degeneratum atque corruptum in pulmonibus ſtagnans, cyſtis ſummopere turgida, & quædam morboſa, ac vitiata corrupti bilioſi humoris tinctura per imi ventris viſcera, & præſertim dexterum hypocondrium verſus; quod eryſipelatoſam morborum conſtitutionem confirmat.

§. XVII. Curativa methodus varia fuit, varia-

(1) Prælect. Accadem.

riæque opiniones in Medicinæ Doctoribus (1): cura mere antiphogiſtica, experientia teſte, nimis periculoſa fuit per repetitas ſanguinis eductiones, quia morbi affectio non erat in ſanguine, ut in vera pleuritide, ſed in lympha, aut ſero acri, atque bilioſo, cujus irritamento pulmonum fibræ, vaſorumque paſſorumque parietes criſpabantur contrahebanturque: quamvis contrarium *Philippus Pirri* (2) aſſerere non dubitaverit, voluitque unicum phlæbotomiam eſſe remedium, & *Galeno* ſummopere ipſemet congratulabatur *febrem jugulaſſe per ſanguinis emiſſionem*; quia ſane hæ infirmitates tantum phlogiſticæ ab eodem exiſtimantur. Parum cauta illius praxis ſtatuit morbos iſtos inflammatorios eſſe, & ad evacuandum impoſterum bilioſos, entericoſque corruptos humores in inteſtinis coegeſtos electuarium lenitivum commendat, ex quibus ſane apparet quantum ſibi adverſetur, & omne id quod de tali conſtitutione ſcripſit, quam magnum ſit paradoxum.

§. XVIII. Phlæbotomiæ uſus in hac conſtitutione ſemper damnoſus fuit, ut multi graves teſtantur Auctores, praxiſque medica confirmavit. Sanguinis emiſſiones ægrotantium vitam in hac pleuritide ducunt ad extremum, maxi-

(1) Diſ.Noſt.§.XII.pag.23. 24. §. XVII. p.29.ad 31.

(2) Antolog. Rom. Tom. VI. pag. 27. & ſeq.

maximam in vaſi humorum efficiendo deplétionem, depauperandoque ſanguinem ad generandas uſque ſeroſas effuſiones in thoracis cavo pulmonumque bronchiis, unde tam frequentes pectoris hydropes, quæ juxta *Morgagnum* pulmoniæ raro ſunt conſequentiæ, ſed repetitarum venæ ſectionum ſunt effectus. Semel hiſce in morbis ſalvatellam ſecabat *Baglivius* (1), cui correſpondet *Lanciſius* (2), qui ſalvatellæ tantummodo ſectionem curam abſolvere voluit, vel cucurbitulis ſcarificatis in dolenti latere. Legenda eſt hac in re recens diſſertatio (3) *Georgii Zolicofer* S. Galli in Elvetia. Non damnat penitus ipſe *Zolicofer* venæ ſectiones, ſed deſignat tempus, quo quis ab his abſtinere ſe poterit; non credit autem phlæbotomiæ uſum meliorem methodum eſſe ad tollendum extraordinarium motum in inflammationibus inter ſolida, atque fluida impreſſum, ſed venæ ſectionem prorſus ſiſtere morborum curſum, cauſamque non deſtruere voluit. Repetitis interim phlæbotomiis, generice loquendo, ægrorum vires debilitantur, & licet convaleſcant; diuturno tamen tempore, & cum moleſtia, atque labore id evenire poterit. Iteratas ſanguinis eductiones voluit *Tiſſot*

(1) Prax. med. Lib. I. Cap. IX. Apend. ad Pleur.

(2) Hiſt. Rom. Epid. Cap. IV. §. XX.

(3) De Abuſ. venæ ſect. in ſanand. Inflammation.

ſot (1), homines debilitare, extenuare, ad ſenectutem pervenire non ſinere, circulationis vim diminuere; ideoque primum pingueſcendo, dein nimis debilitando, tandem digeſtionem deſtruendo, hydropem afferre: poſt aliquot dies majorem cruoris fieri quantitatem; juxta modo citatum *Tiſſot*, *Boerhaavium*, *Hallerum*, *Van-Swieten*, *Gaubium &c.* artificialis inducitur plethera, quamvis hoc ſpecioſum pletoriæ nomen arcanum ſit. Veritas hæc de venæ ſectionum abuſu in hac conſtitutione omnibus prudentibus Medicis innotuit (2).

§. XIX. Epiſpaſticorum item uſus damnoſus nimis fuit in prædicta conſtitutione (3). Quid ſint veſſicantia, & experimenta *a Baglivio* tentata, quid agant; quamvis contrarium *Pirrus* cenſuerit, uti etiam de Camphoræ uſu (4), jam abunde in diſſertatione noſtra ſermonem fecimus (5), & in præſens de juſto veſſicantium uſu ſcripſit *Natalis Lettieri* (6).

§. XX. Curativam tandem exponemus methodum, quam maxime in hiſce inflammationibus proficuam vidimus (7). Antequam alicujus

(1) Aviſ. al Pop. Tom. II. cap. 27. del ſalaſſo §. 542.

(2) Diſſ. Noſt. §. XVII. pag. 29. ad 32.

(3) Ibid. §. XXII. pag. 36. ad 38.

(4) Ibid. §. XIX. pag. 32.

(5) Ibid. §. XXI. pag. 33. ad 36.

(6) Animad. in feb. eſſential. acced. Schediaſma de juſto verſic. uſu.

(7) Diſſer. Noſt. §. XXVI. pag. 40. ad 43.

cujus ægri curam ſuſciperem, ætatem diligenter, ut *Hippocrates* (1) monet, naturam, temperamentum, conſtitutionem, & ſtatum ejuſdem, pulſus dein, abdominis viſcera, linguam, urinaſque obſervabam. Si ab inſpectis ſignis ægrotantem vera pleuritide inflammatoria laborare judicabam, tunc præmiſſo emollienti cliſtere venæ ſectionem inſtituere faciebam, uſque dum non miteſcerent ſymptomata; ſi vero ſymptomatica erat, ſeu eryſipelatoſa (§.VIII.) ſi difficilis aderat reſpiratio cum anxietate nimia, tuſſi ſicca, frequenti, ſtatim annuentibus *Baglivio & Lanciſio* (§.XVIII.) ſalvatellæ tantum inciſionem mandabam, atque affecto lateri, uti ex eodem *Lanciſio* (2) ſcarificationes per cucurbitulas: criſteres dein, fotus emollientes ad doloris locum primum, ſupra abdomen dein, & tandem plantis pedum, utiles fuerunt (3). Oleum autem R. E. amygd. dul. cum oximelle ſimplici mixtum, cochleatim ſumptum ſuperbibendo pectoralem decoctionem cum nitro præſcribebam. Altera die ſi cum linguæ albedine, nauſea, vomitus, aut vomendi inanis conatus, oris amarities, alvi ſiccitas, aliaque ſigna (§. VII.) adeſſent, tunc pulpam Caſſiæ N. T. in hordei decoctione ſolutam, aut electuarium policre-

(1) De Affect. Lib. II. Cap.IV. §.XX.
(2) Hiſtor. Rom. Epidem. (3) Diſſer. Noſt. pag. 41.

licreſte per vices dandum, pariter perſcribebam; Maximam dein utilitatem ægrotantibus vidi a cremore tartari, aut cum pulpa Caſſiæ, aut cum oleo Amygd. dul. oximelle ſimplici, & aliqua aquæ pectoralis quantitate, eumque cremorem ſic paratum dabam cochleatim, efficiebamque, ut inde ſuperbiberent emollientem decoctionem, uti etiam voluit *Van-Swieten* (1), & jam in ultimo noſtræ diſſertationis paragrafo ſatis ſuperque expoſuimus.

§. XXI. Finis autem veris anni prædicti, & æſtatis initium obnubiloſum frigidumque fuit, ventiſque auſtris obnoxium; ideoque inſalubre (2). Inceperunt pluviæ IV. Non. Junii, quæ prius ſex menſium ſpatio (§. IV.) numquam ceciderant, & per intermiſſas vices copioſe perdurarunt uſque ad VI. Kalendas Quintilis; adeo ut Tyberis undæ, quæ antea humiles, claræ, lentæque fluebant, altæ turbidæ ac rapaces, ut in pluvioſa nimis hyeme contingit, obſervarentur; quo tempore Romæ regnarunt febres putridæ, ac pernicioſæ, variolæ confluentes, colicæ, diſſenteriæ, anginæ &c. Kalendis Junii hora IV. uſque ad VI. repetitis concuſſionibus Bononia maxime tremuit, terræque motus uſque ad pridie nonas perduravit, quo die majorem Bononiæ cives perpeſſi ſunt concuſſionem, quæ, etſi minus vehe-

(1) In Boerha. §. 1404. (2) Hippoc. ſect. III. Aph. V.

vehemens ad aliquos tamen menſes perducta eſt; de cujus origine multa inter ſe diſcrepantia Bononienſes Phyloſophi dixere. Terræmotus cauſam voluit eſſe *Seneca* (1), *Gaſſendus* (2), *&* *Baglivius* (3) ſubterraneos accenſos ignes, & pro hujus ſubterranei, aut ſubmarini ignis accenſionis varietate cum impetu erumpentis, variæ ex eodem *Baglivio* terræmotum differentiæ exoriuntur. Satis vulgare eſt tentatum experimentum *a doctiſſimo Lemery*, quo quiſque volens artificialem producere poterit terræmotum, cujus experimento refragatur Chemius *Rovelle*. Utebatur citatus *Lemery* equis partibus ſulphuris in pulverem redacti, & limatura ferri cum aqua ſimul conglutinati, & in terræ viſceribus data profunditate poſiti. Hæc autem præparatio fermentationi illico erit ſubjecta, & poſt quinque, aut ſex horarum ſpatium inflammabitur, ejuſque exploſio terram tremere faciet, & omnis veri terræmotus producet effectus. In omni terræ parte adſunt ſulphur, ferrum, & aqua. Ergo ex eorumdem debita unione, & inflammatione naſci poterit terræmotus. De terræmotuum origine, multi multa dixerunt, ut nemo ignorat. Sed hiſce temporibus omnes fere Phyſici efficientem cauſam in electrico

F igne

(1) N. Q. Lib. VI. Cap. XI.
(2) In vita Peireſci.
(3) De Rom. Terræm.

igne ponunt. *P. Michael Auguſti* (1) hanc opinionem adoptavit, voluitque omnes terræ concuſſiones ex majori quantitate electrici vaporis in ejuſdem terræ viſceribus collecti, natas eſſe, qui ad deperditum acquirendum priſtinum æquilibrium omni conatu, totiſque viribus ad ſibi parandam viam concutit obſtantia.

§. XXII. Magna aeris ſiccitas præſentis anni terræmotuum fuit juxta eundem *Auguſti* primaria produtrix cauſa: at ſiccitas per totam fere Europam generalis fermeque ſimilis evaſit. Ergo univerſa Europæ pars concuſſioni obnoxia eſſe debebat, & reapſe tremere. Voluit autem Romam, aliaque finittima loca a multis paludoſis locis, quæ per agrum Romanum diſſeminantur, liberata fuiſſe multoque magis Tiburis ſulphuraria, quæ electrico igni nobilem offert exitum, atque exhalationem. Putavit autem *Joannes Hieronymus Lapi* (2), cui tamen minime aſſentimur, jam multo tempore circa Romam materies illas eſſe conſumptas, quæ cauſæ erant terræ concuſſionis, non ſolum in ea parte Tyberis, quæ reſpicit Orientem, ubi ſunt duo lacus Albanenſis, & Nemorenſis, Paluſque Pontina, qui lacus olim ſedes fuerunt Vulcanorum extinctorum;

(1) In duob. opuſc. &c.

(2) Intorno l'orig. de' laghi di Albano, e Nemoreſe.

ctorum; verum etiam ex oppoſita Tyberis parte, ubi antiquis temporibus alius exiſtebat Vulcanus, ex quo lacus Braccianenſis traxit originem. Latium fere ſemper, licet lacunis inundatum, multoties tamen Urbes, aliaque oppida terræmotu concuſſa fuere. Ab anno Deiparæ Virginis Partus imperante Auguſto ùſque ad illum 1703. Roma, locaque adjacentia, relictis aliis ante Chriſtum natum, de quibus apud *Livium*, quinquaginta circiter, ut ex hiſtoriis conſtat, graviſſimis terræmotibus excuſſa fuere, exceptis aliis minoribus, quorum ultimus anno 1703. fuit calamitoſiſſimus, qui non ſolum Romæ, verum etiam in univerſa fere Italia ſtragem edidit horrendam (1), quo tempore multæ pluviæ cum magna Tyberis alluvione ceciderunt. Semper autem ante terræmotum maximæ pluvialium aquarum inundationes, aut inſolita maris intumeſcentia ſine ventorum vi accidere ſolent. Terræmotibus, ut tradunt hiſtoriæ, frequenter pluviæ ſuccedunt; imo nova, & inaudita morborum genera (2). Ergo a pluviis, quæ maximis ſuperveniunt ſiccitatibus tribuendi erunt (§.XXIV.)

§. XXIII. Parva pluviæ quantitas, quæ verno tempore in Etruria, & Gallia Ciſalpina

 ceci-

(1) Bagliv. loc. cit. & Diſſ. Var. Arg. Cap. I.

(2) Seneca lo. cit. C. XXVII.

cecidit, has regiones a terræmotu juxta citatum *Auguſti* liberavit, uti quoque Siciliam Ætna, Neapolim veſſuvius ab hoc flagello vindicavit, qui IV. Idus Sextilis hora prima noctis per dimidium horæ ſpatium cineres, flammas, ignitoſque lapides cum ingenti ſtrepitu, atque fragore evomuit; tota Neapolis Civitas adeo clarore irradiata remanſit, ut meridies eſſe videretur; calor dein, ac ſœtor intollerabilis evaſit, fumus Neapolim uſque advenit. Die ſequenti hora XIV. mons cum ſtrepitu horribili mugire incepit, voluminaque ſpiſſi bituminoſi ſumi eructavit, qui hora XXII. defecit. Memorabiles ſunt veſſuvii eruptiones, ut narrant Hiſtorici (1). Inter alias memorabiliores, ac notatu dignas nobis ſeſe offert primum illa eruptio A. C. 79. Tito imperante (2); adeo ut cineres Romam non ſolum, ſed Africam, Syriam, Ægyptum uſque penetrarint (3), ſol obſcuratus Romæ per plures dies remanſit, quod magnam deſolationem, atque terrorem Romanis attulit, relictis aliis minoribus, quæ paſſim evenerunt. Terribilis dein fuit illa anni 1631. (4), ac talis,

(1) Plinius, Dion, Svetonius, Procopius, Cluverius &c.

(2) Plinius Lib. VII. Epiſtol. 16. 20.

(3) Dion de veſſuv. Conflagrat.

(4) Abb. Baccinius de veſſuv. incend. an. 1631.

talis, ut ultimum excidium expectaret Neapolis: cineres enim Bizantium uſque pervenerunt, ignitoſque lapides molis ingentis eructavit, & decem hominum millia periere (1). Eruptio illa prætereunda non erit anni 1753., quæ quatuor menſium ſpatio continuo ignitos lapides bitumina, ſulphura emiſit (2). A longa veſſuvii, aliorumque montium ignivomorum quiete terræ concuſſiones ſunt pertimeſcendæ (3); nullibique frequentiores eſſe conſtat, quam in locis, quæ montibus ignivomis ſunt viciniora, marique finittima (4). Cum autem Bononia nullum ſive eruptionis veſſuvii, ſive pluviarum incommodum habuerit, ut aliæ regiones, idcirco ita multoties concuſſa fuit, ut putavit citatus *Auguſti*.

§. XXIV. Sicut Bononia olim paludibus circumdata erat, quæ juxta eundem Auctorem a terræ concuſſionibus liberabant civitatem, ita exſiccatis paludibus neceſſe erat, ut ad promovendum materiei peccantis exitum in Gaibolæ collibus prope civitatem artificialis vulcanus adaperiretur, ubi ſulphureum ſolum reperitur. At ex hiſtoriis compertum habemus

 Bono-

(1) Carafa de conflagratione veſſuviana.

(2) Brovkner dizion.Geog. &c. Tom.II. veſſuvio. P. della Torre. Storia, e fenomeni del veſſuvio.

(3) Bagliv. de Terræmot. Rom.

(4) Idem loc. cit.

Bononiam quingentorum annorum ſpatio per decem vices ſummopere concuſſam, exceptis aliis minoribus, etiam dum exiſtebant paludes. Ergo ex dictis conſtat ſatis non eſſe, ut paludes ſint prope Urbes, ut hæ a terræmotibus fiant liberæ: imo ante terræmotus ingentes pluviæ, inundationes &c. præcedere ſolent, non autem longa ſiccitas, aeriſque ſerenitas. Poſt longas ſiccitates, ſi pluviæ adveniant, ſemper, ut experientia commonſtrat, fiunt terræ concuſſiones (§. XLIX.): materiæ enim ad accenſionem aptæ, numquam poſſunt inflammari, niſi eædem ab aqua madefiant, quæ per terræ hiatus a ſiccitate productos intus penetrant cum aere, ex quo uti ab efficienti cauſa accenſioni, atque exploſioni rerum inflammabilium præbetur occaſio, ut nonnulli volunt Phyſici; alii autem aſſerunt aerem ex ſe oriri poſſe a combuſtione inflammabilium ab aqua cauſata. Ergo alia ex origine repetenda eſt terræmotus productio, non autem ab igne electrico, ut fere omnes Phyloſophi temporibus noſtris non diſcrepant inter ſe de eodem igne (1).

§. XXV. Æſtivo tempore aliquæ putridæ febres (§. XXVII.), pernicioſæ (§. III.) intermittentes (§. XXIX.) Romæ regnarunt. Octobris initium pluvioſum fuit, reliquum menſis cali-

(1) Vide De' Terrem. di Bolog. del Caſagrande.

calidum, ſiccum, dieſque pulcherrimæ. Novembris, & Decembris menſes rigidi, qua de cauſa aliquæ inflammatoriæ febres, legitimæ, uti ſymptomaticæ pleuritides, anginæ &c. apparuerunt.

De Infirmitatibus anni 1780.

§. XXVI. Januarius menſis anno 1780. pluvioſus fuit: VI. Kalendas Februarii nivem habuimus copioſam; menſis autem ſequens fuit frigidiſſimus: quare pectoris morbi percrebuere, anginæ, rheumatiſmi &c. Media nocte VII. Kalendas Februarii in meridionalibus, & occidentalibus Ætnæ littoribus vehemens habitus eſt terræmotus, qui æquali vi Februario menſe iteravit, tribuſque aliis vicibus menſe Martio. Major dein fuit concuſſio Aprili, ac tandem prorſus ceſſavit ex parte orientali ob aperitionem Æthnici montis; poſt autem quatuordecim annorum ſpatium idem mons cum ſtrepitu, & fragore ex antri aditu bitumen rubri coloris eructare cœpit, ſeu maſſam quandam vulgo dictam *la lava*, quæ Kalendis Quintilis prorſus ceſſavit (1).

§. XXVII. Veris initium pluvioſum, frigidumque fuit, eoque anni tempore declinante, & æſtate incipiente febres quædam putri-

(1) Antol. Roman, Tom. VII. pag. 141.

dæ periculoſiſſimæ obortæ ſunt. Inter alia ſymptomata antecellere vidimus virium proſtrationem, vomitum violentum, aut vomendi inanem conatum, horrorem, linguæ ariditatem, & atro-rubram una cum aliis ſymptomatibus copioſam in ventriculo demonſtrantibus ſtimulantem ſaburram, quæ ſymptomata gaſtrica appellantur, quibus ſtupiditas, coma vigil ſoporoſi affectus, delirium convulſiones ſobſultus tendinoſi, decubitus perpetuo ſupinus accedebant, quæ hujuſmodi ſymptomata a liquidorum immeabilitate, acrimonia ſalſa, bilioſa, oleoſa oriri videntur: unde ab ipſamet liquidorum, atque aliorum humorum in inteſtinis ſtabulantium corruptione oriebantur fœnomena, ex qua excitatus aer, elaſticiorque redditus flatulentam abdominis expanſionem producit. Hæ febres periodicæ videbantur, quia cum horrore, ac horripilatione interdum invadebant, ac orto lento ſudore modum habere videbantur. Febres indolis hujuſmodi doctus Anonimus Auctor *noſocomicas* appellavit (1), voluitque graſſari vernali, autumnalique tempore intermittentibus ſtipatas ſymptomatibus, æſtivo autem bilioſas eſſe, brumali flogiſticas.

§. XXVIII. Ad eas curandas Romana praxis nos docuit tales nimirum febres per ſe valde

(1) De Feb. Noſoc.

valde periculoſas, atque lethales facillime curari poſſe per blandum emeticum, examinata prius ægri conſtitutione: monet *C. Celſus* ſimplicia adhiberi poſſe vomitoria ex aqua tantum tepente, aut lenem purgationem, pulpam nempe caſſiæ, aut cremorem tartari alternatim ſumptum (1), aut eundem cum oleo amygd. dul., aut electuarium pollicreſte cochleatim ſuppeditatum. Ex experientia ſancita eſt lex primas purgandas eſſe vias; donec bilis redundans copia, aliique gaſtrici humores in ſtomaco, aut inteſtinis latitantes eliminentur e corpore, qui in æſtate magis copioſi ſunt facileque corrumpuntur; qua de cauſa, ut monet *Hippocrates* cocta medicari, atque moveri oportet. Niſi ſponte, vel arte bilis, aliique ſucci in harum febrium principio evacuentur diutiſſime perdurant, & circa morbi finem reddita bilis putridiſſima pertinacem diarrhæam, vel diſſenteriam concitat, unde laxatis in progreſſu morbi viribus ſæpe ægroti ſuſtineri nequeunt, unde mors (2). Cliſteres emollientes, aſterſivi ſæpe ſæpius injiciendi ſunt ad inteſtina lenienda, atque a putrida jam infarcta ſaburra abluenda. Quando primæ viæ in harum febrium principio ſatis non fuerint repurgatæ, petechiæ ſemper appare-

(1) Tiſſot Avviſ. al popolo &c. §. 246.

(2) Van-Swieten in Boerha. §. 586.

parere ſolent (1), beneque purgato ægroto ab aphtarum ſupervenientium periculo liberantur (2). Plurima autem prava, & interdum lethalia ſubſequuntur ſymptomata, quæ perbelle *a Petro Cavane* (3) adnotata ſunt. Semel, aut bis ad ſummum in robuſtiſſimis tantum viris venæ ſectionem proficuam animadverti, in debilioribus minime: licet enim robuſti eſſent ægrotantes: attamen virium proſtratio per repetitas phlebotomias augebatur, humorum ſeparationes, concoctiones, & criticæ evacuationes impediebantur, vel ſupprimebantur, ſi jam erant incœptæ una cum aliorum gaſtricorum ſymptomatum incremento. Multum igitur reprobanda ut plurimum eſt in his febribus venæ ſectio, quod confirmat citatus Anonimus (4). Experientia edoctus fui, plurimos hac febri laborantes, nullis convulſionibus fuiſſe correptos, quibus ſemel, aut bis ad ſummum ſanguinis detractio inſtituta fuerit. Nam repetitæ ſanguinis emiſſiones quam citiſſime lethalem in fluidis colliquationem, ſpaſmodicaſque fibrarum conſtrictiones efficiebant, quæque ad vitæ extremum inducebant. Idem citatum Auctorem (5) obſervaſſe animadverti, qui una tantum venæ ſectio-

(1) Quarin de Feb. C.VII.

(2) Boerha.Aph.&c.§.991.

(3) Differ. ſur l'huile de Palma Chriſti.

(4) De Feb. Noſoc. pag.9.

(5) Ibidem pag.31.

ctione, paucos altera fuiſſe ſanatos vidit, ac ingenue dixit, quo ad phlebotomiam repetendam bis, vel pluries fallacem fere in omnibus exurgere indicationem. Cum peculiaribus attentis circumſtantiis ſanguinis emiſſionem interdum commendavit, generatim vero in hac febri parce adminiſtrandam eſſe, atque pluries nocere docuit (1). Quod commonſtravit adhuc *Joſeph Quarin* (2). In nonnullis delirium ſuperveniebat, quod *Pringle* putavit eſſe effectus repetitarum ſanguinis detractionum; in ſectionibus autem anatomicis efformatos abſceſſus in encephalo idem obſervavit. Limoneæ valde dilutæ uſus, uti quoque ſyrupi acetoſi ſimplicis, aut oximellis ſimplicis optimus fuit. Aquæ gelidæ potus ſummopere ad ingentem, imo potius urentem extinguendum calorem profuit; idem obſervarunt *Galenus* (3), & *Avicenna* (4); damnoſus vero in intermittentibus febribus fuit. In magno imi ventris metheoriſmo lintea nive madefacta, ac perfrigerata ſupra abdominis viſcera continuo appoſita ab impediendam tendentium humorum putrefactionem utilia expertus ſum: unde imi ventris flatulenta elevatio, aliaque elaſtica materies, ut ex phyſiologicis conſtat, habebat origi-

(1) Loc. cit. pag. 66.
(2) Loc. cit. Cap. IV.
(3) IX. Meth. Cap. V.
(4) Lib. IV. Fen. I. Tr. XX. Cap. VII.

riginem. Supra illam corporis partem, ubi ſe maxime ardere aſſerebat ægrotus, lintea aqua frigida madida apponenda curabat *Hippocrates* (1). Plurimum quoque ægro prodeſſe animadverti nivis ejuſdem ori particulam injicere, quæ ab ipſo retenta, ac ſæpius repetita linguæ aſperitatem, atque ariditatem ſummopere leniebat, quo remedio uſus eſt citatus *Hippocrates* (2), *& Galenus* (3). Sitis, & linguæ ariditas ardorem viſcerum ſignificat, aut fluidorum reſtagnationem. Cum hujuſmodi febres in numero eſſent continuarum corticis peruviani uſus damnoſus erat: ab imperitis tamen Medicis uti vidimus, nulla præmiſſa obſervatione circa morbi qualitatem, aut blanda aliqua purgatione primum adhibita, quia crediderunt illas febres eſſe tantum perniciofas: dein ſanguinis emiſſionibus, & corticis peruviani uſu morbum expellere tentarunt; ſed contrarium comprobavit eventus: nam ægri diem potius ultimum obierunt, quam ſanitatem recuperarint. *Petrus Joannes Vaſtapanni* (4) Taurini ann. 1779. in lucem edidit opuſculum, ubi corticis peruviani uſum in putridis continuis febribus damnoſum eſſe demonſtravit: diviſit autem has in duas

(1) De inter. affect.
(2) Lib. VIII. Epid.
(3) Loc. cit.
(4) De Chinæchinæ in Feb. putr. animad.

duas diſſimiles ſpecies, primam rheumaticam inflammatoriam vocavit; ſecundam vero voluit cauſatam fuiſſe a ſeptico principio in animalibus humoribus congeſto, ubi critica illius acris humoris coctio, atque eliminario neceſſaria eſt. Non congruit autem præfatus cortex in putridis febribus, licet virtutem habeat antiſepticam; eumdem corticem ad ſubmovendas tantum pernicioſas febres ſufficientem eſſe demonſtravit, & in putridis exaſperare humorem, quem ſua vi in ægris corporibus natura ſubjicere deberet, & per naturalia emunctoria expellere, atque eliminare, quod experientia duce aſſerere arbitratus eſt. *Petrus Paulus Laudan* (1) jus carnium febricitantibus, & præſertim putridis febribus ſummopere damnat, ubi potiſſimum in ſtomaco, ac inteſtinis adſit putrida humorum congeries ſymptomata adaugens; voluitque tandem cum *Huxham* maximum febricitantium numerum tam pernicioſa methodo perire.

§. XXIX. Menſes autem Quintilis, & Sextilis ſummopere calidi fuere, unde febres apparuerunt quamplurimæ ſemitertianæ, ſeu hæmitritææ (2), nempe meſſentericæ, malignæ, quæ putridarum febrium ſolam admittebant curationem (§.XXVIII.). Major pars febrium; quæ

(1) Diſſ. contre l'uſage des Bauillions a Paris 1779.

(2) Superior diſſer. §. VI. pag. 24.

quæ regnant in Urbe a meſſenterii inſarctu; ibidemque diu congeſta putri cachochilia habent originem (1). Longa virium proſtratione ab ipſo cauſata morbo, & prava ciborum qualitate debilitato ventriculo digeſtiones perturbabantur, ex quo putrida, ac incongeſta in ſtomaco primiſque viis ſaburra gignitur: unde meſſentericas febres, tam longas, ac exitiales vidimus in hæticam, hydropem deſinentes, quod obſervavit etiam *Hippocrates* (2). Multæ apparuere pernicioſæ febres ejuſdem indolis illarum, quæ per æſtatem, & autumnum anni 1778. graſſabantur (§.III.), & ad Septembrem, & Octobrem uſque perdurarunt, facillimæque per corticem peruvianum amovebantur. Vidimus utique multas intermittentes febres, tertianas nempe ſimplices, duplices, quartanas, quæ ut plurimum poſt fervidiſſimas æſtates apparere ſolent, præſertim in illis, qui improbis laboribus fuerint defatigati; maloque utebantur victu; nam poſt maximos æſtivos calores ſubtiliſſima pars ſanguinis facile diſſipabatur (3), reſiduum craſſum, ſpiſſumque relinquens, qui a pravis digeſtionibus adauctus, ſpiſſiorque evaſus per tenuiſſimos lienis, ac hepatis ramos difficulter

(1) Baglivius de Feb. Malig. &c.

(2) I. Epid. Sect.III.

(3) Differtat. Noſtra §. X. pag. 18. 19.

ter permeare poteſt : unde circulantium humorum in abdominalibus viſceribus remora nata, obturatiſque vaſis naſcebatur obſtructio : hinc bilis acrior, ac ſpiſſior, aliorumque gaſtricorum humorum ſecretiones, vaſorumque chylipherorum ſimul functiones perturbabantur : ideoque hujuſmodi febres cum anxietate, nauſea, vomitu, laſſitudine, frigore, pallore, ſitique inexplebili incipiebant, quarum multæ per repetitam blandam purgationem, ac moderato corticis peruviani uſu debito tempore, cum neceſſariis adhibitis cautelis dari facile removebantur. Illis autem, qui languore erant oppreſſi prædictus cortex, qui roborando agit, cum vino generoſo admixtus maximum evaſit remedium, quod frequenter ſummo cum levamine adhibitum obſervavimus *a Fulvio Filippani* SS. Salvatoris Noſocomii de Urbe Medico Primario, dum nos ad medicam praxim anno præſertim 1770. & 1771. ſub eodem in hoc Xenodochio tyrocinia ponebamus. In illis autem ægris, in quibus ſolus cortex efficax non erat, eum cum radice valerianis ſylveſtris, theriaca in vino generoſo ſoluta per vices datum felici cum eventu præſcripſi; dummodo poſt ſolutas blandas præmiſſas purgativas evacuationes corruptorum humorum in inteſtinis, ac meſſenterio non adeſſet apparatus, potiſſimum in illis, qui a debi-

debilitate nimia, virium proſtratione, atque languore erant oppreſſi. Sola theriaca cum vino in hiſce febribus uſus eſt *Galenus*. *Marſianus* (1) vero affirmat nullum efficacius remedium eſſe ad febrium acceſſiones prohibendas, quam theriacam ipſam, qua in periodicis febribus utebatur aſſidue, non modo in quartanis, ſed etiam liberrime in tertianis. Antiqui ſæpiſſime vino utebantur in morbis, inter alios *Aſclepiades* (2). Laudat *Avicenna*, & *Mercurialis* vinum in febribus ante paroxiſmum; vinum pari aqua dilutum, anxietatem, oſcillationem, horrorem ſolvere voluit *Hippocrates* (3), quod confirmavit *Van-Swieten* (4), dum a nimio aeris calore langueant homines. Narrat *Ramazzinus* in rurali epidemia anni 1690. in Mutinenſi agro ſæviente, & *Silvius de la Boë* (5) in illa Leidenſi vinum fuiſſe optimum remedium. Cæſaris exercitus ob ciborum inopiam veſci coactus fuit radicula puadam cum lacte ad ſimilitudinem panis facta, quam *Cæſar Chara* (6) appellat, & *Plinius Lapſana* (7), ex qua febris epidemica in exercitu habuit originem. Expugnato Gonphos

(1) In Hippoc. Lib. de Affect.

(2) Bianchini la Medic. di Aſclepiade.

(3) Sect.VII. Aph.LVII.

(4) In Boerha. §.602. 2.

(5) Prax. Med. Tom.X.

(6) De Bell. Gall. Lib.III. Cap.XVI.

(7) H. N. Lib.XIX. C.VIII.

phos Theſſaliæ oppido, cum magnam vini quantitatem inveniſſet, quo adhibito in exercitu epidemica febris evanuit (1). Multa objiciuntur a nonnullis contra vini uſum in febribus; at *a Joſepho Antonio Pujati* (2) hæ ſolvuntur objectiones. In morbis omnibus, qui fibram debilem, ac laxam reddunt, vinum auſterum commendavit *Boerhaavius*. Vini ergo uſus convenit in febribus, aliiſque morbis, ubi nimia fibrarum debilitas, virium languor, atque ſumma proſtratio adſit, cujus vis aut per tincturam ckalibis, aut per infuſionem ejuſdem augetur. Reſtauratis viribus, facillime reviviſcunt ægri, febrilis fomes concoquitur, concoctuſque a natura expellitur, facileque ſubmovetur febris.

§. XXX. Si adhuc pertinax foret febris, efficiebam, ut cortex ſale armoniaco admiſceretur, quod juxta *Baglivium* (3) maximum antifebrile eſt. Sed ex diverſis ægrotantium conſtitutionibus, atque temperamentis omnibus proficuum æque non fuit, vidimuſque efficaciorem eſſe dictum ſalem, ſi camomillæ floribus in pulverem redactis loco peruviani corticis admiſceretur; voluitque idem Auctor (4) camomillæ flores ad febres intermittentes

(1) Plutarcus Tom. II. in vit. Cæſaris.

(2) De vini uſu in Feb.

(3) De Morb. ſucceſ. Capit. XIII.

(4) Ibidem.

tentes fugandas eſſe maximum remedium, omniumque febrifugorum principem. In illis autem infirmis, in quibus multa bilioſæ materiei quantitas in primis reperiretur viis, conjungebam corticem cum cremore tartari, & interdum juxta circumſtantias cum magneſia, præſertim ſi lentor humorum adeſſet. Sed tutius meliuſque agebat magneſia cum prædictis camomillæ floribus; & hoc experientia ipſa didici: nam nullos ægrotos tali utentes methodo recidivare vidi. Aſſiduus decoctionis uſus florum camomillæ per horas diſtributæ, & cremoris tartari ſummo mane ſumendi ad pondus duarum drachmarum a me præſcriptus, liberavit familiarem quendam claræ memoriæ Cardinalis Scipionis Burgheſii, a quodam inveterato dolore capitis periodico, qui neque per corticem peruvianum, neque per repetitas venæ ſectiones antea debellari potuerat.

§. XXXI. Hujuſmodi igitur febres ab intempeſtivis aeris caloribus, victu male ſano, a veſtimentorum immunditia, immodico labore, imis habitationibus, locis anguſtis, nec ventilationi expoſitis habebant originem, quæ febres etiam graſſatæ ſunt in agro Romano Conſulibus L. Valerio Potito, & M. Mallio ob ſiccitates, & nimium ſolis calorem (1). Quam

(1) Livius Lib.V.

Quam neceſſarium ſit a cubiculis aerem repellere contaminatum ab halitibus, qui e corpore jugiter emanant, ſatis commonſtravit *Ramazzinus* (1): voluit enim dormitorii aperire valvas non ſolum in æſtate, ſed etiam hyeme ad novum receptandum aerem, ut inter internum, & externum aliquod ſit commercium: nam aer impurus morbum nutrit, efficitque, ut nova morbi cauſa adjungatur, ac perduret; & revera divites moderato, ac optimo victu utentes maximis non detenti laboribus ab his febribus generaliter fuerunt immunes. Contra vero pauperes victum ſanum nequaquam habentes, ac defatigati ab hiſce tantum febribus correpti fuere. Has ægritudines oriri voluit *Hippocrates* (2) partim quidem ex vivendi ratione, partim ex ſpiritu. Hujuſcemodi igitur febres reapſe epidemicæ non fuerunt, quia non omnes hominum conditiones invadebant, ut in epidemiis contingit: Etenim invadebant tantum corpora cachochimica, debilia, bilioſa, malepaſta; nec endemicæ erant febres, quia huic Urbi propriæ eædem non fuerunt, verum multis in locis Urbi vicinis dominatæ ſunt; potius ſporradicæ dicendæ, quia plurimos homines valetudinarios corripuit, pariterque illos, qui abuſi fuere ſex illis

(1) De Virg. Veſtal. valetud. tuenda.

(2) De Nat. Hom. Teſt.II. & III. Chart. Tom.VI.

illis rebus non naturalibus, alioſque juxta eorum conſtitutionem, morboſque prægreſſos (1). Exiſtimarunt nonnulli calidas, ac ſulphureas exhalationes, putridaque effluvia e terra ab aquis pluvialibus expulſa, quæ copioſe tota die IX. Kalendas Sextilis cecidere, auxiſſe calores, & valetudinarios, ruſticos, plebejos, alioſque vulgares homines invaſiſſe, & potiſſimum illos, qui in montanis, atque campeſtribus inhabitabant locis juxta ſpirantium ventorum qualitates. Quod & animadvertit *Lanciſius* (2) ab epidemia ſcilicet Urbis Leoninæ correptos fuiſſe, ſpirantibus euronotis, habitatores montis Marii, Neroniſque prati. Illi vero, qui in humillimis locis, & præſertim paludoſis morabantur, iiſdem recurrentibus correpti fuerunt infirmitatibus. Alii autem vehementer conati ſunt aſſerere morbos hujuſmodi prorſus a putridis Pontinarum Paludum exhalationibus duxiſſe originem, quæ ventorum vi per aerem ad nos uſque deferebantur. Sed hoc ex dictis facili negocio evertitur: licet una ex occaſionalibus concurrentibus, & adventitiis cauſis eſſe potuerit, non fuit tamen abſoluta, atque primaria cauſa.

§. XXXII. Quam variæ ſint diverſis temporibus

(1) Vid. Boerha. de Morb. Epid. & Van-Swieten in eund. §.1404. ad 1413.

(2) De Nox. Palud. effluv. Lib.II. Epid.III.

ribus doctiſſimorum Medicorum, quamque diſcrepantes ſententiæ de febrium intermittentium origine, natura, atque cauſa, nemini latet. Sed relictis omnibus diſſentientibus inter ſe ſententiis, ſat nobis erit in medium proferre, quod ſcripſit *celebris Senac* (1). Poſtquam febres in varias claſſes diviſiſſet, & quibus anni temporibus ipſæ ut plurimum graſſari ſolent, expoſuiſſet, varias Auctorum opiniones de eorum cauſa refellere incœpit; ac tandem diverſis rationibus demonſtravit inter cæteras veriſimiliorem eſſe illorum opinionem, qui intermittentium febrium fomitem vere per totum corpus diffuſum exiſtere defendunt, quamquam hepar ſit illa totius corporis pars, quæ morboſæ affectioni obnoxia ſit. *Hippocrates* (2) has febres a bile pendere voluit; quod comprobatur eryſipelatum apparitione, quæ ſtatim ac manifeſtantur, ceſſat febris, & iiſdem regredientibus, en iterum febris, humorque ille billioſus, qui eryſipelata conſtituit, hujuſmodi febris cauſa eſſe videtur, atque ſedem habere in hepate (§.XI.): corruptam bilem concurrere poſſe ad renovandos febriles paroxiſmos una cum cauſa latente voluit *Van-Swie-*

(1) De Recond. Febr. int. tum remit. natura &c. Lib.I.

(2) De Nat. Hom. & L.II. de Morb.

ten (1), & *Littieri* (2) bilem febris eſſe putavit principale phœnomenon (3), cujus ſententiæ adhæremus.

§. XXXIII. Obſervavit *Sydenamius* (4), intermittentes febres, alioſque epidemicos morbos graſſari incipere Februario menſe, & Sextili; horum primos vernales, autumnales alteros appellavit: obſervavit pariter febres, quæ Februario incœperant, eo uſque propagari ad autumnales, & viciſſim; nam ſimul ac autumnales ceſſerant, vernales apparebant: autumnales autem pernicioſæ ſunt, atque mortales, ut in prægreſſa conſtitutione animadvertimus (§. III.), omnique fere anno contingit. *Hippocrates* (5) per autumnum in univerſa terra morbos acutiſſimos, maximeque lethales obſervavit, non ſic vernali tempore quod ſaluberrimum conſpexit. Hiſce in intermittentibus febribus modo ſupra deſcriptis adeo protractos, ac duplicatos agnovimus paroxiſmos, ut continuæ crederentur: idem indicavit *C. Celſus* (6); ac tandem in multis vergebant in continuas. Animadvertit quoque *Sydenamius* (7) poſt tertium, vel quartum paroxiſ-

(1) In Boerha. §.757.
(2) Animad. in Feb. eſſent. Curand. Meth. Cap.I.
(3) Vide Hophm.de Morb. a bile oriundis.
(4) Sect.I. Cap.V.
(5) Meth. Med. ad Glauc.
(6) Lib.III. Cap.IV.
(7) Epiſ.I. Reſp.

roxiſmum in continuas migrare, & hoc pendere voluit *Van-Swvieten* (1) ab aeris calore. In aliis tandem infirmis in continuas remittentes commutatas eſſe vidimus.

§.XXXIV. Has diuturnas febres in chronicos deſinere morbos non ſemel obſervavimus; in longas præſertim, ac pertinaces quartanas, quæ numeroſæ fuerunt. *Meſſarias* (2) Matronam Romæ vidit, quæ viginti duos annos quartana laboravit: & a mollecularum cohæſione, quæ noſtros conſtituunt humores in obſtructionibus potiſſimum lienis, ictero aſthmate, hydrope, leucophlematia, ſcirris terminabantur. Idem obſervavit *Hippocrates* (3), quod medicis obſervationibus comprobatur (4). Poſt pertinaces tertianas ſemper in liene obſtructiones vidit *Galenus* (5); idem in tali conſtitutione experientia confirmavit: omnes illos pariter inſpexi, uti quoque animadvertit *Van-Swieten* (§. XXXVI.), quibus imprudenti corticis peruviani uſu febris ſuppreſſa fuerat priuſquam febrilis fomes per febrem ipſam ſubactus fuerit tota autumnali, & ſubſequenti anni 1781. hyemali ætate, languore, cache-

 xia,

(1) In Boerha. §.748.

(2) Ettmul. op. omn. T.II. pag.309.

(3) De Affect. Cap.V.Char. Tom.VII.; & de Intern. Affect. Cap.54.

(4) Medical. Eſſayſ. T.IV. Chap.24.

(5) Met. Med. ad Glauc. Lib.I Cap.IX. Tom.X.

xia, ictero, obſtructionibus detentos fuiſſe, donec nata ab auctis abdominalibus obſtructionibus hydrope, & dein inſuperabili tremore miſerrime anxietate oppreſſos, ſphacellatos animas reddidiſſe: pariter autem moriebantur illi, in quorum imi ventris viſceribus infarcta diu hærebat colluvies, qua paulatim corrupta, ac accedente vere commota eveniebat diarrhæa, vel diſſenteria. In ſimili conſtitutione, quæ per totam fere Europam anno 1709. extendebatur, eam ſymptomatum congeriem obſervavit *Van-Swieten* (1), qui numquam corticem peruvianum in illo morborum curſu præſcripſit, niſi quum ægrotantium debilitas alias poſceret inducias, eadem ſymptomata in ſimillibus febribus animadvertit *Ballonius*, idemque confirmavit *Sydenamius* (2).

§. XXXV. In omnibus autumnalibus febribus nimis proficua blanda, repetitaque purgatio, imo prorſus neceſſaria fuit, in illis præſertim, ut meliores Clinici inter ſe conveniunt, in quibus primæ viæ, hepar, lien, ac meſſentericæ glandulæ ab humorum ſaburra infarctæ fuerunt; unde ſolutis expulſiſque corruptis gaſtricis humoribus, reſeratiſque viſcerum obſtructionibus, quæ a ſanguinis aliorumque humorum craſſitie originem ducebant, ægri priſtinæ reſtituebantur valetudini. In his febri-

(1) In Boerha. §. 767.

(2) Sect. I. Cap. III.

febribus voluit *Van-Swieten* (1) corruptam bilem in cunctis ægris circa præcordia fluctuare. *Aſclepiades*, ut refert *C. Celſus* (2), poſt acceſſionem, alvum ducendum eſſe, & poſt horrorem, vomitum eliciendum voluit: idem confirmavit *Boerhaavius* (3). Pharmacum dabat *Sydenamius* (4); dummodo abundans in primis viis adeſſet colluvies. Dum paroxiſmo febrili hiſce in febribus urgebat vomitus, eum cum aqua tepente, & oleo leniebam, vomendique inanes conatus mitiores reddere curabam: hanc methodum idem Auctor (5) adhibuit: damnavit autem imprudentem uſum omnium evacuantium, ſi nimis frequens fuiſſet. Damnoſam venæ ſectionem animadverti; & lethalem, ſi repetita fuerit, quæ a multis vulgaribus Medicis celebrabatur. Id confirmavit *Boerhaavius* (6), ejuſque commentator *Van-Swieten*, *&* *Sydenamius* (7), qui niſi eodem ictu, quo venam pertundit chirurgus ipſam etiam febrim confodiat, ſemper nocuiſſe frequenti obſervatione ſe didiciſſe teſtatur (8); illam tantum approbavit in tertianis vernalibus: ſi vero æger adoleſcens, floridus, ple-

(1) In Boerha. §.759.
(2) Lib.III. Cap.XIV.
(3) Aphor. de Cog. & Cur. morb. §.759.
(4) Epiſt. Reſp.I.
(5) Sced. Monit. de Nov. feb. ingreſ.
(6) Loc. cit. §.762.
(7) Ibidem.
(8) Sect.I. Cap.I.

plethoricuſque fuerit, venam incidi jubet die libero. Plurimi Auctores fuerunt, qui in his febribus contra phlæbotomiam exclamarunt (1). Hiſtoriæ teſtantur Abiſſinos numquam ſanguinis emittendi uſum accepiſſe, uti quoque Sinenſes, Japonenſes, apud quos, ut refert *Boyleus* medicina floruit.

§. XXXVI. Peractis multis ſanguinis detractionibus ſine præmiſſa aliqua purgatione a nonnullis Medicis cortex peruvianus generaliter ægris omnibus præſcribebatur, ea ſuppoſitione, quod hujuſmodi febres eſſent pernicioſæ, quæ multæ ſimul eodem tempore obſervabantur; hinc eveniebat, ut, adaucta febri, multæ intermittentes in continuas convergerent, & dein ingraveſcentibus ſymptomatibus, ac orto tandem delirio morerentur: robuſtiſſimi autem viri, hac violenta methodo ſuppreſſa febri, in alios chronicos incidebant morbos. Se vidiſſe teſtatur *Van-Swieten* (2) ſæpe in ægris, qui tertianis autumnalibus ægrotabant, & imprudenti Medici conſilio cortice peruviano febrim ſuppreſſerant, antequam materia febrilis per febrem ipſam expedita foret, plerumque in his caſibus circa præcordia hærens, omnia incaſſum tentata fuiſ-

(1) Vide Riſp. del Ferrari all' Albertelli, ed il Salaſſo Storia, effetto, uſo &c. in Roma 1770.

(2) In Boerha. §. 754.

fuiſſe, miſeroſque levi ictero fœdatos languiſſe tota hyeme: & vidiſſe pariter juvenem (1), cui in verna tertiana cum jam poſt ſecundum paroxyſmum datus fuiſſet cortex a Medico, ne febris altas, ut ajebat, figeret radices, & cum poſt aliquot dies rediret febris, iterum illico ſuppreſſa fuerit; obſervavit autem ille miſero huic juveni alternis diebus circa illam horam, qua paroxiſmus ingruere ſolebat, accidiſſe oſcitationem, pandiculationem, borborygmos, abdominis tentiones, aphoniam, abſque ulla pulſus mutatione, cum intolerabili anxietate, omniaque hæc permoleſta ſymptomata duorum menſium ſpatio perduraſſe teſtatur, licet variis medendi methodis tentaretur curatio. Multæ non abſimiles hiſtoriæ in medicis obſervationibus reperiuntur (2): quare optime *Sydenamius* dixit (3): *curandum eſt ante omnia, ne præmature nimis cortex ingeratur, ante ſcilicet quam morbus ſuo ſe Marte aliquantiſper protiverit (niſi collabeſcentes & jam fractæ ægri vires eundem temporius ſumendum eſſe dictaverint) neque enim illud ſolum eſt metuendum, ne a præpropero ejus uſu inefficax iſte reddatur, & ſpem ægri fallat; ſed etiam ne de ægri vita agatur, ſi ſanguini, omni fermentationis niſu ſe*

(1) Ibidem §.767. pag.24.
(2) Medical Eſays Tom.IV. (3) Sect.I. Cap.V.

ſe deſpumanti eam derepente injiciamus remoram. In hominibus laxiorem corporis habentibus conſtitutiorem ſanguine raro, ac tenui præditis, ſi humida, nebuloſaque prævaleat atmoſphæra corticis peruviani uſum damnavit *Huxham* (1). *Joannes Senac* (2) poſtquam multa de curandis intermittentibus febribus dixiſſet, inconvenientiam expoſuit ex prædicti corticis peruviani uſu derivantem: unde ad ea fugienda neceſſarias præſcrípſit cautiones.

§. XXXVII. Corticem peruvianum impuro corpori dare damnoſum nimis eſt, & in ægrotantium perniciem ſemper vertitur; imo ſymptomata per hunc ipſum corticem augeri vidi; præſertim in illis febribus, in quibus putrida humorum ſaburra in primis viis, ac meſſenterio ſtabuletur. Hæc veritas omnibus optimis Clinicis innoteſcit. Demonſtravit *De Belgis* (3) pituitoſas ſordes in ventriculo permanentes corticis particulas oblinire, & quaſi viſco implicare, eaque de cauſa plurimum obtundi, & impediri, & quandoque graviſſimas, ac inſuperabiles efformari maſſas, quæ eumdem opprimentes, febricitantibus vitam eripiunt. *Baglivius* (4) vero aſſeruit corticis peruvia-

(1) Cap. II. de Febr. Intermit.

(2) Loc.cit. Lib.IV. & Hophman. Diſſ.IV.de Rect. Ckin.Ckin.uſu in Feb.

(3) De uſu Quinquin.

(4) Prax. Med. Lib.I. Cap. IX. de Feb.Mal. & Meſſ.

ruviani uſum in impuro corpore, & in principiis morborum, nullis præcedentibus ſignis coctionis, ſæpius in ægroti perniciem verti, potiſſimum in magno humorum apparatu in meſſenterio: volunt autem juxta eundem quam plurimi ſuppeditandum eſſe, ut ſymptomatum tunc furentium coerceatur impetus, ut inde æger ſymptomatum ſopita vi poſſit morbo reſiſtere: *At ſi tu loco frenandorum ſymptomatum*, ut ſcripſit citatus *Baglivius* (1), *pravos humores per Chinam Chinæ in aliquo viſcere figes, ac concludas, & ita internam parias inflammationem, ut frequentiſſime obſervavi: nonne tu culpandus eris?*

§. XXXVIII. Ex dictis facile eruitur quam damnoſus ſit abuſus corticis peruviani: rheumatiſmum quidem, & ſcorbutum generat: imo maxime ſcorbuto ſunt ſubjecti illi, qui nimio cortice peruviano uſi fuerunt, ut *Sydenamius* (2), & *Boerhaavius* (3) aſſeruerunt: hipocondriacas quoque cauſat affectiones; atque alia quam multa damna imprudentem ejus uſum in febribus intermittentibus curandis producta fuiſſe teſtatur *Van-Swieten* (4). In autumnalibus febribus cortex, docente *Sydenamio* (5), inducias potius impetrat, quam debellet

(1) Specim. Tri.Reliq.Lib. de Fib.motric.Cap XIII.

(2) Sect.IV. Cap.V.

(3) Loc. cit. §. 1150.

(4) Comment. cit. Aph.

(5) Sect.I. Cap.V.

bellet febrim, quæ per duas, treſve hebdomadas deliteſcens ſolet recrudeſcere: ſi autem alia methodo curata fuerit, tam facile recurrere febres non videntur. In ſuſpicionem omni tempore venerunt multi, quod cortex peruvianus, qui ſæpe abſque ulla ſenſibili evacuatione intermittentes febres ſolus ſupprimit, ſufficiens non ſit ad extirpandam intermittentium febrium originem, atque cauſam: quare putarunt, validiſque comprobarunt rationibus in febribus per corticem ſuppreſſis, ſemper febrilem fomitem remanere ſuperſtitem: ideoque tam frequenter valetudinarii ſunt recidivi. Raro corticis ejuſdem uſu pro ſuis ægrotantibus indigebat *Baglivius* (1); quapropter ejus infirmi a recidivis non affligebantur. Per coctionis leges, & criſes *ab Hippocrate* deſumptas curabat, coctum humorem per intervalla purgabat, aut per alias eliminabat vias. Tandem cum *Van-Swieten* (2) concludimus, omnium meliorem methodum has curandi febres illam eſſe, quæ conſpirat cum febre, ut ſolvat concreta, reſeret obſtructa, ſicque humorum æqualem motum per omnia vaſa reſtituat.

§. XXXIX. Olim acerrime in corticem peruvianum declamarunt quamplurimi; multi autem ab his contumeliis corticem vindicare cona-

(1) Loc. cit. (2) Ibidem §. 758.

conati ſunt; inter alios *Franciſcus Torti*, qui ut ingenue loquar, nimis fautor fuit, & *Antonius Cæleſtinus Cocchi* (1) ulterius pro viribus tueri ſtuduit. Ea de re *Van-Swieten* (2) juxta de cauſa aſſeruit, innumerabiles eſſe Medicorum opiniones de cortice peruviano, atque ita, ut eo tempore, quo aliqui eum damnant, alii vindicant, & quod mirum eſt omnes ſententiam ſuam experientia ſtudent comprobare. Certe nullum abſolute, & ſemper utile remedium eſt, ſed tempeſtivo uſu fit tantum (3).

§. XL. Noſtram tandem curativam exponemus methodum, quam ſummopere proficuam vidimus in illis tantum recidivis febribus, quæ a magno craſſorum humorum apparatu, atque putrida colluvie in primis viis, & validis hepatis, lienis, ac meſſenterii obſtructionibus originem ducebant; quæ febres facile curabantur ſine corticis peruviani uſu, ſi deſtruebatur cauſa, quæ ab humorum pendent reſtagnatione; unde progignebantur febres. Purgantium uſu blandorumque deoſtruentium, omnes liberatos vidi; licet eſſent cachetici, valetudinarii, proclives ad hydropem, per quotidianam nempe cremoris tartari uſum ſummo mane ſumendi præſertim in morbi prin-

(1) Cortic. peruv. vindic. Diſſer. Cap.IV.

(2) Loc. cit. §.767.

(3) Ibidem.

principio per dies aliquot, donec viſcidi craſſi lenteſcentes, ac inertes biliosi humoris ſolverentur, & eliminarentur e corpore, quo tempore omni ſane veſpere, licet adhuc febris adeſſet, ſaponem Venetum, & gummi ammoniacum præſcribebam uſque dum ceſſaret febris, & reſeraretur obſtructio, quibus expulſis, ad ſeri lactis uſum cum rhabarbaro tranſitum faciebam; fotus, unctiones ſingulo veſpere ſupra partes obſtructas, cliſteres &c. jubebam, ſed feliciori eventu peragere vidi pilulas tartareas Sckrodæri, & ammoniacas Quercetani, equis partibus cum pauca electuarii lenitivi quantitate junctis, quod a nobis efficax, & infallibile remedium cognitum fuit, & hæ pilulæ facilius tutiuſque abdominales omnino obſtructiones ſine moleſtia reſerabant, talique methodo uſus eſt *Vincentius Orlandi* Parens meus in his curandis febribus: ideoque ſublato fomite, deſtructaque cauſa, numquam febres redire conſpexi, quia valida obſtructio liquidi tranſmittendi per vaſa libera velocitatem auget; unde febres. Deoſtruentium uſum ſummopere in his febribus commendavit *cit. Van-Swieten*: pariterque pro potu ordinario aquam graminis, & naſturtii aquatici cum nitro, aut minerales aquas adhibuit. Termales aquas commendarunt nonnulli, inter quos in hujuſmodi febribus, tamquam validum

lidum remedium propoſuit aquam acetoſam ad Milvium Pontem *Laurentius Maſſimi* (1). Generoſi vini uſus ad vires reſtaurandas per febres nimis debilitatas optimi eventus fuit: motus, corporiſque exercitia per amæna loca ad elaſticitatem in ſolidis reacquirendam, ſolvendamque craſſitiem, ac lenteſcentiam in fluidis erant neceſſaria; nam muſcularis motus, ut ex phyſiologicis conſtat, fluidorum velocitatem auget, quod confirmavit etiam *Sydenamius* (2); voluitque difficilius per corticem ſanari intermittentes febres, ſi eo utentes ægri jugiter incarcerentur in lecto. *Aſclepiadem* excogitaſſe legitur (3) ſuſpendendos in lectulis ægros, quorum jactatus, aut morbos extenuaret aut infirmos ſomno alliceret. Hoc penſili lecto uſos fuiſſe in curandis morbis nonnullos inter Dalmatas ſcripſit *Baglivius* (4). Rhæda, aut ſella vehi inter exercitii genera connumerari exiſtimavit; atqne exercitium iſtud licet corpus non exagitet, novum tamen illum, ac continuum aeris in corpus impulſum, motumque ut ut læviſſimum, humorum promovere voluit curſum, perſpirationem augere, corpuſque ab excrementis purgare; pu-

H tavit

(1) Dell' Acq. Acetoſ. &c. Cap.IV.§.III.p.54.ad 58.

(2) Diſſert. Epiſt.

(3) Plinius H.N. L.XXVI. Cap. VIII.

(4) Diſſert. de Tarantula Cap. XIII. Vide Borelli de vi percuſſionis.

tavitque pariter, quod clauſtrales, licet non multo utantur exercitio, nihilo tamen minus vitam ducunt incolumem; eo quia, ut ſentit idem *Baglivius*, diu, ac noctu vocem in pſallendo exercent, & hoc exercitii genus motui corporis ſupplet: ideoque perfectam ſervant valetudinem. Juxta varias ægritudines, varia corporis exercitatione, variaque methodo utebantur Priſci. Per muſcularem ergo motum, uti quoque per varias mentis applicationes multi a periodicis febribus evaſerunt immunes, ut apud Medicas videre eſt obſervationes. Q. Fabius Maximus Conſul commiſſo prælio adverſus Alobrogum, Avernorumque gentes febri quartana in acie liberatus eſt (1).

§. XLI. Varium in Medicina uſum ars tenuit Gymnaſtica; illa tamen medica ante Platonis ortum habuit originem, cujus artis inventio *Hærodico* (2) *Magni Hippocratis* magiſtro tribuitur (3). Inter veteres binos habuit fautores gymnaſtica medica, *Eraſiſtratum* nempe, qui Seleuci Aſſyriæ Regis medicus fuit, & Græcum *Aſclepiadem* (4), qui Romæ Pompei Magni ætate floruit, & inter recentiores immortalem *Hieronymum Mercuriali* (5).

De

(1) Plin. l.c. L.VII. Cap.L.
(2) Plato de Repub. L.III.
(3) LeClerc.Iſtor.dellaMed.
(4) Bianchini loc. cit.
(5) De Arte Gymnaſ. vid. Celſum Lib. I. Cap. I. & Bagliv. Specim. de Fib. mot. Cap.VII.

De Morbis Anni 1781.

§. XLII. Jam non minus in modo prægreſſi menſis Decembris, quam Januari initio plurimas frigidas, ſerenaſque dies anni tempus dedit; unde nix, & glacies, & hinc multæ veræ, atque ſymptomaticæ pleuritides (§.XX.). Reliquum prædicti menſis ab auſtro, partim ab aquilone, & vulturno exagitatum fuit; hinc plures catarrhales fluxiones ad pectus quaſi univerſales vidimus, uti fuerunt illæ anno Jubilæi 1775. (1). Februarii tempeſtas ſerena, & ab aquilone dominata: quare pectoris morbi, & anginæ aliquantulum perſeverarunt, uti ob eamdem cauſam Martii menſe multæ periodicæ febres: autumnales autem reviviſcere pariter vidimus; chronicique valetudinarii autumni mox elapſi languore, cachexia, febre hætica, hydrope interiere.

§. XLIII. Veris initium licet optimum fuerit, artritici tamen dolores, rheumatiſmi, febres pernicioſæ lethargicæ, ſyncopales, periodicæ &c. graſſatæ ſunt. Ultima veris, & prima æſtatis pars frigida, nebuloſa, pluvioſaque fuit. Tertio, & pridie nonas Junii ante Maji plenilunium lunam adeo pallentem conſpeximus, ut ejus color languidus videretur;

 tribus

(1) Diſſertat. Noſtra §. V. pag. 12.

tribus circumdabatur albicantibus circulis, & ad pallidum tendentibus; quare omni jure ex præfatis ſignis, ut *Baglivius* (1) demonſtravit, facile ſuſpicari potuimus in locis Roma non multum diſſitis futurum fore terræmotum: reapſæ paulo poſt infauſtum, ac prorſus deplorabile nuncium audivimus III. Nonas Junii maximum terræmotum devaſtaſſe totam Cailii civitatem in Urbini ducatu ad Appenninorum radices ſitam magna, atque miſerrima incolarum cæde: unde in adapertos campos adire cives coacti fuerunt, quo tempore ingens ventorum factus eſt fragor. Horribilis hujus terræmotus centrum *Montem Neronem* fuiſſe narratur. Magnæ in eo factæ ſunt rupium, ſpecuumque fracturæ, necnon aliis in locis ipſi conterminis horrenda præcipitia; unum maxime in Comitatu Piobbici ſub fabuloſa crypta *Monetæ*, quod ad viginti ſupra centum paſſus longitudinis circiter extenditur, ubi voragines, fauceſque profundæ, ac humi ſylvarumque ruinæ cunctis accedentibus apparent. Altera priore major a motu terræ facta eſt in comitatu Arcis *Leonellæ*, longiſſima, & æque profunda vorago. Ad cœlum conſcendere, atque ſatis a longe videbatur ignis, denſuſque pulvis, qui fracturarum, & terræ commotionum effectus putabatur: at nulla ignis eſt

(1) Hiſt. Rom. Terræmot. 1703. *obſervationes*.

eſt ſecuta eruptio. Ea die terræmotus omnes illius regionis incolæ vehementem patiebantur ſitim; fonteſque in ejus circuitu turbidi, ac plerumque rubicundi ſcatebant. En montem illum cavernis, & ſpeluncis diſſeminatum, cryptiſque, quæ naturâ videntur factæ per venas perennibus aquis affluentem. Crebri mugitus, qui ab eodem monte exibant, nunc facti ſunt crebriores, atque horrendiores cum aliquo non parvo terræ tremitu. Iſte terræmotus ſe diffudit in Cluſini, Romandiolæ, Urbevetani provincias, aliaque per loca: quadraginta octo horarum ſpatio in Aretina civitate perduravit. IV. Idus Quintilis horrendum hunc pertulere terræmotum Faventia, Forum Cornelii, Imola, Ceſenas, Caſtrum Bononienſe, aliaque oppida illis finitima: quæque terræ concuſſio nocte ſequenti repentino, raucoque fragore audita eſt. Iterum XVI. Kalendas Sextilis tremuere Faventia, Forum Livii, atque aliæ regiones; tandemque Florentia, ac loca adjacentia, qui terræmotus ſequentibus menſibus variis in locis iterarunt.

§. XLIV. Quintilis mens fuit ardentiſſimus, unde multas putridas, malignas, meſſentericas ſimiles illis anni prægreſſi (§. XXIX.) obſervavimus febres, diarrhæas, diſſenterias, colicas &c. In Sextili, & Septembri febres perni-

nicioſas, ut in tranſactis annis (§§.III. XXV.), multaſque periodicas facile recidivantes conſpeximus. Methodus curativa, ut in aliis ſuperioribus annis tradita. Menſis dein Octobris frigidus nimis fuit; adeo ut ninxerit in montibus: atque ideo anginæ inflammatoriæ, pleuritides veræ, in quibus neceſſaria erat repetita venæ ſectio, corizæ, rheumatiſmi &c. apparuerunt. Reliqui duo menſes, ſcilicet Novembris, & Decembris fuerunt pluvioſi cum paucis generatim infirmitatibus. Morbi autem prædominantes ſoporoſæ, ac lethargicæ affectiones una cum apoplexiis fuere, quæ apoplexiæ familiares evaſerunt, ſimileſque illis Romæ anno 1772. graſſantibus (1); quæque per totam hyemem 1782. perſeverarunt (§.XLV.).

De Ægritudinibus anni 1782.

§. XLV. Hujus anni 1782. initium humidum, pluvioſumque habuimus, quæ pluviæ per totum fere Februarii menſem abundanter ceciderunt. Perſeverarunt adhuc in Urbe ſoporoſæ affectiones, & apoplexiæ, quæ in modo prægreſſis Novembris, Decembriſque menſibus

(1) Pirri ſu la cagion. delle Mor. Imp. &c. de his vide Lanciſius de Mort. ſub., Morgagni de ſed. & Cauſ. Morb. &c. Epiſt. Anatom. Medic. II., & Opuſc. Noſt. inſcript. Ragion. d'uno colpito da Morte Imp. &c. an. 1775.

bus graſſabantur. Ultima Februarii menſis pars frigida nimis fuit ſerena, & ab aquilone dominata. Hinc XVI. & XV. Kalendas Martii magna nivis quantitas, quæ gelu reddita ſupra domorum tecta octo dierum ſpatio, glacieſque quotidiana per vias uſque ad VIII. Kalendas menſis ejuſdem remanſit. Hiſce temporibus nedum Romæ, atque in tota Italia, verum etiam æque in univerſa Europa frigus maximum commune fuit; adeo ut a nonnullis exiſtimatum eſt majus fuiſſe illo hyemis anni 1779., atque æquaſſe illi 1709. Memorabile quidem fuit illud, nubila hyeme ſequuta, juxta *Caſſinum*, anno U. C. 176., indicatum *a Tito Livio* (1), *Divoque Auguſtino* (2), quod quum dira immanitate ſæviret, in foro aliiſque Urbis viis per quadraginta dies nives horribili prodigioſaque altitudine moram in terris duxerunt; qua de cauſa Tyberis glacialis evaſit, atque innavigabilis. Pene ejuſdem naturæ ſequutum eſt hoc anno 1782. Ulyſipone ubi adeo vehemens (ſicuti nobis relatum eſt) fuit atque ita longo tempore perduravit, ut ſatis nivium abundans copia cecidiſſet. Hujus Urbis incolæ tanta novitate perterriti ſunt, ut tumultuosè ad templa ſe conferrent, exiſtimantes vicinum eſſe ultimum Mundi finem. Multæ arbores, atque plantæ, omneſque illæ limonum ob algi-

H 4 diſſi-

(1) Decad.I. Lib.V. (2) De Civ. Dei L.III. C.XVII.

diſſimum tempus, uti evenit annis 1709. & 1714., Romæ exſiccatæ permanſerunt. Quod obſervatum eſt item in Germania, aliiſque locis ſeptentrionalibus. Hujuſmodi valde gelida conſtitutio effecit, ut Petroburgi multæ excubiæ, permultique homines in campeſtribus locis Urbi vicinis mortui invenirentur. Balticum mare glaciale fere totum evaſit. Termometrum prædictæ Urbis ad gradus 31. deſcendit.

§. XLVI. Hujus naturæ frigus cauſavit in Urbe multas pectoris ſymptomaticas affectiones in debilibus, & valetudinariis hominibus: in robuſtiſſimis autem veras inflaminationes: primæ per curativam methodum hyemis anni 1779. (§.XX.) adhibitam: ſecundæ vero per repetitas phlebotomias facillime curabantur. Vidimus quoque multas humorales, lymphaticaſque anginas ſine febri, in quibus, niſi ſuffocationis periculum adeſſet, ſanguinis detractio perniciofiſſima erat, facileque per pulpam Caſſiæ N.T. aut electuarium pollicreſte cum diagridii granis aliquibus cochleatim datum, & gargariſmata cum aqua plantaginis ſale prunello, ſyrupo diamoronis parata ſanabantur. In illis vero, in quibus pertinacior erat angina, ac ſummopere turgidæ a muccoſa, inertique viſciditate infarctæ apparebant tonſillæ, tunc gargariſmate cum aqua hordei, ſpiritu vini, & nitro confecto efficaciter utebamur, quæ infirmi-

firmitates non multum temporis ſpatium Romæ perſeverarunt.

§. XLVII. Primo, & ineunte vere dies habuimus frigidas, ventoſque frequentes, quibus auſtrales dies acceſſerunt, inter quos dominatus eſt vulturnus; quare calidi ſimul, & humidi dies evaſerunt. Febres interim ob temporis varietatem vagare incœperunt: ideoque multæ fuerunt periodicæ, inter quas autumnales anni modo prægreſſi denuo ſurgere inſpeximus; aliæ ſimiliter continuæ ex putridarum genere cum vomitu, delirio, nimio calore, aliiſque ſignis veram putridam continuam febrem conſtituentibus ſtipatæ apparuerunt, quæ febres tutè medebantur per curativam methodum adhibitam anno 1780. (§. XXVIII.). Aliquas febres irregulares pariter vidimus, quæ omnes diverſi generis una cum algidis, pluvioſiſque diebus uſque ad ver extremum perdurarunt. Septentrionales populi ver inconſulto frigidum, nivoſumque paſſi ſunt: unde hiſce in regionibus habuit originem pectoris quædam epidemica affectio valde periculoſa, pernicioſiſque comitata ſymptomatibus, quæ in his locis vocabatur catarrhus, ſeu tuſſis ruſſa.

§. XLVIII. Declinante jam vere, & ineunte æſtiva tempeſtate incœperunt ſummopere per Urbem extendi multæ periculoſæ exhantematicæ febres, inter quas primum tenuere locum

 pete-

petechiales, varioloſæ, & potiſſimum morbilloſæ, quæ ſtragem ediderunt horrendam in pueros, adeo ut maxima eorum pars depræhenſa a morbillis fuit, multique miſerrime interierunt. Anomala, ſeu irregularis (1), difficiliſque fuit in multis expulſio; nam ad decimum diem protractam uſque vidimus. Hæc ægritudo non tantum parvulos affecit, verum etiam homines ex omni ſtatu, ætate, ſexu, atque conditione. Pulſus vehementiſſimi, lingua alba, calor febrilis moderatus, ſomnolentia, vomitus, tuſſis ſicca &c. erant præcipua morbillorum ſymptomata. Generatim autem eorumdem morbillorum facile manifeſtabatur expulſio, eaque facilitate evaneſcebat ſuperveniente pertinaci diarrhæa, ſicque paulatim ab eadem conſumpti, lentoque maraſmo tabefacti moriebantur. At huic incommodo facile conſului: requies enim Niculai cum ſtibio diaphoretico in aqua lactucæ ſoluta, cochleatim data maximum mihi ſe præbuit remedium; quare accidit, ut, ſuppreſſa diarrhæa, augeretur interrupta morbillorum eruptio, quod pariter obſervavi poſt violentam narium hæmorrhagiam: ſicque paucis diebus per modo laudatum remedium morbilloſi liberabantur. Idem praxis Medica confirmavit in variolis. In multis vero repentina, atque prompta

(1) Sydenam. Sect. V. Cap. III.

pta expulſio fuit, nullis ſtipata lethalibus ſymptomatibus, paucisque diebus facile ſanabantur; ſed poſt non multum temporis intervallum incipiebat tuſſis, lenta dein febris colliquativa, pertinacique commota diarrhæa, quæ in diſſenteriam, atque lienteriam deſinebat. Calor exurentiſſimus ſuperveniebat cum macie, & febris minime remediis cedebat: unde poſt duos, treſve valetudinis menſes tabe conſumpti e vita decedebant, quæ morbilloſæ affectiones uſque ad autumnum perſeverarunt; eodemque tempore regnarunt quoque ſimul diarrhææ, diſſenteriæ, febres putridæ, periodicæ &c. non valde periculoſæ, neque graves. Non diſſimiles exanthematicæ febres, quæ ab eorum ſymptomatibus miliariæ vocabantur (1) Martio menſe in Volcarum Galliæ provincia graſſatæ ſunt, quæ febres novæ illis habitatoribus exiſtimatæ fuerunt. Nam ſex ab hinc annis hiſce in regionibus pene apparere voluerunt nonnulli cum maximo populi animi motu, atque terrore: licet benignæ eſſent febres, tamen hæ de exanthematicarum claſſe fuere, uti illæ quæ morbilloſæ apud nos ſe manifeſtarunt.

§. XLIX. Menſis Sextilis nimis calidus fuit; frigidus dein repente factus eſt: quare poſt ardentiſſimos æſtivos calores illico rigida atmo-

(1) Vide Antol. Rom. Tom. IX. num. V.

moſphæra fuit potiſſimum mane diluculo, & veſpere; ideoque impedita tranſpiratione, quæ quidem fuit copioſiſſima, anginæ, rheumatiſmi, diarrhææ, diſſenteriæ, periodicæ febres, multæque apoplexiæ Urbis habitatores afficere incœperunt. Sed prædominans morbus fuit fluxio catarrhalis ad pectus, quæ falſo nomine a vulgo vocata fuit *il Catarro Ruſſo*, utpote eſſet morbus epidemicus illi ſimilis, qui in ſeptentrionales populos in vere graſſabatur (§.XLVII.), & licet ſtipata foret permoleſtis ſymptomatibus, ſumma videlicet gravedine, atque inexplicabili capitis dolore, tuſſi frequente, maxima febri, ſumma virium proſtratione, articulorum, & præſertim lumborum doloribus, laxitate &c.; nihilo tamen minus facile medebantur: quod obſervavimus item anno 1775. (1), & 1781. (§.XLII.). Trium dierum ſpatio ſola dieta, quiete, & dilutione, facili negocio curabantur, quæ dilutio parata erat ex decoctione florum malvarum cum pauca ſyrupi acetoſi ſimplicis, aut oximellis ſimplicis quantitate. Hæc catarrhalis fluxio detexit in aliquibus varias occultas multis ab hinc annis in pulmonibus infirmitates, inter quas nonnullos empyematicos obſervavimus. Quemdam virum bilioſi temperamenti empyema laborantem vidi ad ultimum vitæ periodum reda-

(1) Diſſertat. Noſtra §. V. pag. 12.

dactum, ob intempeſtivam ſanguinis detractionem a quodam triviali Medico peractam; licet a ſuppurante ſudore eſſet madefactus æger, quem ſudorem criticum credidit eſſe iſte Medicus, non autem ſymptomaticum. Magnus error erat in plebe exiſtimante fluxionem hanc catarrhalem epidemicum, atque lethalem eſſe morbum: hic autem error a tonſoribus, atque phlebotomicis propagatus eſt: quapropter iſti credulo vulgo ſignificarunt venæ ſectionem proficuam fore, imo ad vitam ſervandam ſummopere neceſſariam: ea de re ſine Medici voto hæ infirmitates ab iſtis tam perniciosa methodo curabantur. At quid mirum, ſi id Romæ peragi vidimus ab hujuſmodi vulgarium hominum turba? Non ſolum autem ſanguinem detrahunt iſti ſine medicorum imperio; verum etiam medicamenta præſcribere non erubeſcunt ecoprotica, cholagoga, hydragoga (1). Opiata utique audacter dant ægrotantibus. Oh homines ad generis humani perniciem, atque deſolationem nati! Tales ſanguinis emiſſiones a vulgo Medicorum notabili ægrotantium damno approbatæ fuerunt: verum illi valetudinarii, qui phlebotomiam non paſſi ſunt, trium dierum ſpatio liberi omnino evaſerunt; at id non accidit illis,

(2) Vid. Boerha. de virib. Medic. Par. III. Claſ. II. Cap. III. ad VII.

lis, qui a repetitis venæ ſectionibus debilitati fuerunt. Vidimus impoſterum hos ægrotos remanere infirmos, valetudinarios, tuſſim ſiccam, crebram, difficilem expectorationem, anxietatem habere, ac febrem perdurare, quinimo augeri, & ſic diu morboſos permanere. Prudentes autem Medici ſanguinis detractionem generatim reſpuerant, uti obſervavimus pariter anno Jubilæi 1775. Eodem autem tempore rediit calor, dieſque exurentiſſimi fuerunt, donec ſolem in horizonte noſtro haberemus; at illis ipſis diebus frigus magnum in nocte, & ante lucem; ideoque ſupradictæ catarrhales fluxiones percrebuerunt. Quo tempore nonnullas ſurgere conſpeximus veras pectoris inflammationes valde periculoſas, in quibus tantum proficua fuit imo neceſſaria repetita ſanguinis eductio. Nonnulli infantes epileptica affectione cruciati fuerunt, veſſicantium uſus femoribus appoſitorum, ut meliores Clinici commendant, proficuus ſummopere fuit, licet febris adeſſet. Hiſce temporibus ſiccitas fuit ſumma, pluviæque quatuor circiter menſium ſpatio numquam noſtram in regionem ceciderunt; quæ tam longæ ſiccitates fuerunt productrices cauſæ terræmotuum, uti vidimus (§. XXIV.), quod obſervatum volumus in ultimis terræmotibus Bononiæ, Imolæ, Ceſenæ, qui XII. Kalendas Septembris quaſ-

quaſſarunt has Civitates,aliaque adjacentia loca.

§. L. In lucem apparuit quædam ſcheda ad catarrhum, ſeu tuſſim, quam *Ruſſam* appellant, pertinens. Illius anonimus Auctor primus fuit, qui contra multos, tam Tranſalpinos, quam Italos excellentes Modicos aſſeruit morbum hunc non fuiſſe epidemicum, ſed contagioſum. At relictis omnibus diſcrepantibus inter ſe ſententiis ſolum contenti erimus exponere, quod ſentimus de illa ſolummodo fluxione catarrhali, quæ in noſtra Italia, & præſertim Romæ apparuit: ſcribimus enim Romæ tantum, & de morbis ad hanc noſtram Urbem pertinentibus. Repentinum, atque inſolitum frigus (§. XLIX.) in Sextili menſe adveniens hanc catarrhalem fluxionem produxit, quod paſſim indicavit *Hippocrates* (1), *& Baglivius* (2), non autem contagioſum miaſma; & hæc occaſionalis, atque adventitia cauſa in atmoſphæra inducta inter ſummos æſtivos calores fuit produtrix, atque primaria cauſa hujus affectionis, adeo, ut multæ pectoris veræ inflammationes (§. cit.) eodem tempore in Urbe exortæ ſunt, utpote contingere ſolet in algida hyemali tempeſtate. Quamvis fere genericus fuit morbus; nihilo tamen minus

(1) In Epid. Lib.II.Teſt.V. &c. Aphor. II. & VII. Sect.III.

(2) De Morb. ſucceſſ. Capit.III.

minus infectos tantum vidimus valetudinarios, malepaſtos, cacheticos, illoſque, qui ſex rebus non naturalibus abuſi ſunt. Temperamenta autem ſana, aliis morbis obnoxia fuere, & præſertim veris inflammationibus: itaque Romæ, aliiſque in finittimis locis neve epidemica, neve contagioſa fuit, ſed recurrens morboſa affectio aeris varietate cauſata (1). Abſurdum eſt, quod Germani, ut putavit anonimus Auctor, per merces ad Senogalliæ Urbem in Umbria contagioſum miaſma pertulerint, & illi, qui ibidem erant, per totam undique Italiam diſſeminarint hujus morbi rudimenta. At etiam Senogalliæ habuit originem hæc affectio a repentino frigore, & impetuoſo, atque proceiloſo ventorum turbine; & antequam ad Urbem hanc perveniſſent, qui Senogalliam petierant, morbus jam Romam per plures dies invaſerat. Catarrhalis hæc fluxio diverſæ indolis, atque naturæ in ſeptentrionales populos graſſabatur; nam hujuſmodi ægritudines, ut ſupra vidimus, non ſemel Romæ obſervavimus, ob intempeſtivam aeris perfrigerationem poſt ingentes calores. Ergo omni ratione aſſerimus fluxionem hanc in Urbe obſervatam diverſam prorſus fuiſſe ab illa, quæ per ſeptentrionem percurrerat, & tantum

Romæ

(1) Vid. Lancif. de nat. deq. advent. Rom. Cel. qual. Par. I. Cap. XVII. §. II.

Romæ adventitiam, atque accidentalem ab adventitia cauſa fuiſſe genitam.

§. LI. Autumnale tempus fere totum fuit auſtrale, & pluvium cum moderato frigore exceptis nonnullis paucis diebus, in quibus fuit maximum. Pluviæ autem apparuerunt III. Kalendas Octobris, & perſeverarunt uſque ad XVII. Kalendas Januarii, quæ numquam ante quatuor menſium ſpatio, in univerſa ſane Italia ceciderant (§. XLIX.). Morbi, qui in tota hac autumnali tempeſtate regnarunt in Urbe fuerunt præ cæteris putridæ febres, meſſentericæ, colicæ, rheumatiſmi, hyſchiatides, eryſipelata, anginæ humorales, in quibus damnoſiſſima fuit repetita ſanguinis miſſio(§.XLVII) plurimæ quoque apoplexiæ, morteſque repentinæ (§. XLIV.) Recurrere pariter obſervavimus multas febres periodicas, autumnales, tertianas nempe ſimplices, duplices, quartanas, facile recidivantes: graſſari quoque vidimus nonnullas putridas, verminoſas, continuas valde graves, ac periculoſas cum delirio, vigiliis perpetuis, aurium tinnitibus, aſſiduis convulſionibus, urinis pallidis, lethale delirium demonſtrantibus juxta *Hippocratem*, lingua ſummopere arida, atque ab albicante oblinita mucco, ſiti inexplebili, ſingultu, anxietate, extremorum perfrigeratione, ſenſuum ſtupiditate, pulſibus variis, aliiſque lethalibus ſympto-

ſymptomatibus. Ad eas curandas neceſſe fuerunt crebræ purgationes per alvum (§.XXVIII.) medicamenta anthelmintica, cardiaca, fotus unctiones, cliſteres, aliaque lenientia, atque laxantia. Sanguinis emiſſiones damnoſæ fuerunt; phlebotomia enim convulſiones percrebuit (§. cit.); in illis vero, in quibus bene purgatum corpus non fuit, tunc petechiæ apparuerunt (ibidem). Ad leniendam linguæ, oriſque aſperitatem paucam nivis quantitatem in ore retinere faciebam, potuque aquæ gelidæ commendabam (ibidem). Neceſſe quidem fuit ad lentorem in maſſa fluidorum ab hac febri productam, & ad materiei morboſæ excretionem promovendam, licet etiam adeſſent convulſiones, ut meliores Clinici inter ſe conveniunt, uſus epiſpaſticorum.